UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

**Tomás <de Jesus>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1684**

Articvlvs I. Vtrum anima hominis rapiatur ad divina.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38621**

Visual Library

## COMMENTARIVS IN QVÆSTIONEM CLXXV.

## DE

# RAPTU ET ECSTASI.

## PRÆFATIO.

IN hac quæſtione D. THOMAS præcipuè de natura Raptus, & Ecſtaſis, ac de modo, quo hæ operationes in anima contingunt, breviter diſputat. Et quia multa ſunt in hac materia ſcitu digniſſima; nos univerſam hanc Tractationem paucis diſputationibus abſolvemus.

In prima diſſeremus de natura, cauſis, ſubjectoque Raptus, diverſiſque ejus ſpeciebus.

In ſecunda, de effectibus divini raptus tam in anima, quàm in corpore cauſari ſolitis.

In tertia, de Ecſtaſi ſive mentis exceſſu, ejuſque cauſis, modis, ſpeciebus, atque effectibus; regulis ac ſignis, quibus vera à falſa diſcernenda ſit.

In quarta, de amore reali & unione divina ex hac ecſtaſi procedente, aliiſque huc ſpectantibus.

In quinta, de raptu D. Pauli, variiſque circa illum occurrentibus quæſitis ac difficultatibus.

---

## ARTICVLVS I.

*Vtrum anima hominis rapiatur ad divina.*

*Veri. q. 13. art. 1 & art. 2. ad 9. Et 2. Cor. 12. c. 4. Lib. 1. cap. 1. ante med. To. 1.*

AD PRIMVM *ſic proceditur. Videtur quòd anima hominis non rapiatur ad divina. Diffinitur enim à quibusdam Raptus, ab eo quod eſt ſecundùm naturam, in id quod eſt ſupra naturam, vi ſuperioris naturæ elevatio: eſt autem ſecundùm naturam hominis ut ad divina elevetur; dicit enim Auguſt. in principio Confeſſ. Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Non ergo hominis anima rapitur ad divina.*

*Cap. 8. & cap. 9.*

*2. Præterea Dionyſ. dicit 8. cap. de divin. nomin. quòd juſtitia DEI in hoc attenditur, quod omnibus rebus diſtribuit ſecundum ſuum modum, & dignitatem: ſed quòd aliquis elevetur ſupra id quod eſt, ſecundùm naturam, non pertinet ad modum hominis, vel dignitatem: ergo videtur, quòd non rapiatur mens hominis à DEO in divina.*

*Lib. 2. cap. 30. circa princ.*

*3. Præterea, Raptus quandam violentiam importat: ſed DEVS non regit nos per violentiam, & coactè, ut Damaſc. dicit; non ergo mens hominis rapitur ad divina. ſed contra eſt, quod 2. ad Cor. 12. dicit Apoſt. Scio hominem in Chriſto raptum uſque ad tertium cœlum. Vbi dicit Gloſſa, Raptum, id eſt, contra naturam elevatum.*

*Gloſſa ordin. ibid.*

RESPONDEO *dicendum, quòd raptus violentiam quandam importat, ut dictum eſt. Violentum autem dicitur, cujus principium eſt extra, nil conferente eo quod vim patitur, ut dicitur 3. Ethic. Confert autem unumquodque ad id in quod tendit ſecundùm propriam inclinationem, vel voluntariam, vel naturalem. Et ideo oportet, quòd ille, qui rapitur, ab aliquo exteriori rapiatur in aliquid, quod eſt diverſum ab eo, in quod ejus inclinatio tendit: quæ quidem diverſitas attenditur dupliciter. Vno quidem modo, quantum ad finem inclinationis: puta ſi lapis, qui naturaliter inclinatur ad hoc quod feratur deorſum, projiciatur ſurſum. Alio modo quantum ad modum tendendi: puta ſi lapis velocius projiciatur deorſum, quàm ſit ejus motus naturalis. Sic igitur, & anima hominis dicitur rapi in id, quod eſt præter naturam. Vno modo quantum ad terminum raptus: puta quando rapitur ad pœnas, ſecundùm illud Pſal. 49. Ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat. Alio modo, quantum ad modum homini connaturalem; qui eſt, ut per ſenſibilia intelligat veritatem: & ideo quando abſtrahitur à ſenſibilium apprehenſione, dicitur rapi, etiamſi elevetur ad ea ad quæ naturaliter ordinatur: dum tamen hoc non fiat ex propria intentione, ſicut accidit in ſomno, qui eſt ſecundùm naturam; unde non poteſt propriè raptus dici. Hujuſmodi autem abſtractio ad quæcumque fiat, poteſt ex triplici cauſa contingere. Vno modo ex cauſa corporali, ſicut accidit in his, qui propter aliquam infirmitatem alienationem patiuntur. 2. modo ex virtute dæmonum, ſicut patet in arreptitiis. 3. modo ex virtute divina; & ſic loquimur nunc de raptu, prout ſcilicet aliquis Spiritu divino elevatur ad aliqua ſupernaturalia, cum abſtractione à ſenſibus ſecundùm illud Ezech. 8. Spiritus elevavit me inter cœlum, & terram, & adduxit me in Hieruſalem in viſione DEI. Sciendum tamen, quòd rapi quandoque dicitur aliquis, non ſolùm propter alienationem à ſenſibus, ſed etiam propter alienationem ab his, quibus intendebat; ſicut cùm aliquis patitur evagationem mentis præter propoſitum: ſed hoc non ita propriè dicitur.*

*Ad primum ergo dicendum, quod naturale eſt homini, ut in divina tendat per ſenſibilium apprehenſionem; ſecundùm illud, Rom. 1. Inviſibilia Dei per ea, quæ*

*facta*

*facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſed iſte modus quod aliquis elevetur ad divina cum abſtractione à ſenſibus, non eſt homini naturalis.*

*AD SECUNDUM dicendum, quod ad modum & dignitatem hominis pertinet, quod ad divina elevetur, ex hoc ipſo quod homo factus eſt ad imaginem Dei. Et quia bonum divinum in infinitum excedit humanam facultatem, indiget homo, ut ſupernaturaliter ad illud bonum capeſcendum adjuvetur, quod fit per quodcumque beneficium gratiæ. Unde quod ſic elevetur mens à DEO per raptum non eſt contra naturam, ſed ſupra facultatem naturæ.*

*AD TERTIUM dicendum, quod verbum Damaſceni eſt intelligendum, quantum ad ea quæ ſunt per hominem facienda. Quantum verò ad ea, quæ excedunt liberi arbitrij facultatem, neceſſe eſt quod homo quadam fortiori operatione elevetur: quæ quidem quantum ad aliquid poteſt dici coactio, ſi ſcilicet attendatur modus operationis: non autem ſi attendatur terminus operationis, in quem natura hominis, & ejus intentio ordinatur.*

## *EXPOSITIO litteræ Articuli.*

PRima *Concluſio*. Raptus, eſt quædam elevatio ab eo quod eſt ſecundùm naturam, in id quod eſt ſupra naturam, vi ſuperioris naturæ contingens. Unde raptus violentiam importat, & ideo oportet quòd ille, qui rapitur, ab aliquo exteriori rapiatur, in aliquid quod eſt diverſum ab eo ſecundùm ſuam propriam inclinationem, vel voluntariam, vel naturalem.

*Secunda Concluſio.* Dupliciter poteſt aliquid tendere in id quod eſt diverſum à ſua inclinatione; uno modo quantum ad finem, ſive terminum inclinationis, ut ſi lapis projiciatur ſurſum, cùm naturaliter inclinetur ut feratur deorſum: alio modo quantum ad modum tendendi, v.g. ſi lapis velocius projiciatur deorſum, quàm ſit ejus motus naturalis.

*Tertia Concluſio.* Juxta hunc duplicem modum poteſt hominis anima dici rapi in id quod eſt præter naturam. Uno modo quantum ad terminum raptus, v.g. ſi rapiatur ad pœnas, ſecundùm illud Pſalmi 49. *Ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat*: alio modo quantum ad modum homini connaturalem, qui eſt, ut per ſenſibilia intelligat veritatem, & ideo quando abſtrahitur à ſenſibilium apprehenſione dicitur rapi, etiamſi elevetur ad ea, ad quæ naturaliter ordinatur.

*Quarta Concluſio.* Hujuſmodi abſtractio à ſenſibus poteſt ex triplici principio, ſive cauſa contingere. 1. Ex cauſa corporali, ſicut accidit in his, qui propter aliquam infirmitatem alienationem patiuntur. 2. Ex virtute dæmonum, ſicut patet in arreptitiis. 3. Ex virtute divina, & ſic loquimur in præſenti de raptu, cùm ſcilicet aliquis Spiritu divino elevatur ad aliqua ſupernaturalia cum abſtractione à ſenſibus.

*Quinta Concluſio.* In ſolutione ad 2. Ad hominis dignitatem pertinet ex hoc ipſo quod factus eſt ad imaginem DEI, quod ad divina elevetur, & quia bonum divinum in infinitum excedit humanam facultatem, indiget homo, ut ſupernaturaliter ad illud bonum capeſcendum adjuvetur, quod fit per beneficium cujuſcumque gratiæ divinæ, unde fit, quòd elevatio mentis noſtræ à DEO facta per raptum, non eſt contra naturam, ſed ſupra facultatem naturæ.

## *OBSERVATIONES circa hunc Articulum.*

*Operationes in homine, quomodo ſint diſtinguenda.*

PRimum colligitur ex hoc articulo, quòd hominis operatio propriè in hac vita, eſt intelligere mediante imaginatione, & ſenſu, unde operatio ejus, quâ ſolis intellectualibus inhæret, omnibus inferioribus prætermiſſis non eſt ejus in quantum eſt homo, ſed in quantum aliquod in eo divinum exiſtit: ut dicitur 10. *Ethic.* operatio verò, quâ ſolis ſenſibus inhæret, præter intellectum, & rationem, non eſt ejus in quantum eſt homo, ſed ſecundùm naturam quam communicat cum brutis, tunc igitur homo à naturali modo ſuæ cognitionis transmutatur, quando à ſenſibus omnino abſtractus, ad aliqua præter ſenſum inſpicienda, virtute divina elevatur, in quo teſte D. Thoma *de veritate q. 13. art. 1. in corpore.* Vera ratio divini raptus conſiſtit.

*Variis Deus ab homine cognoſci poteſt modis, & quomodo id ei ſit naturale.*

Secundò colligitur ex mente ejuſdem D. Thomæ *de veritate, ubi ſuprà ad 1.* quòd cognoſcere DEUM contingit multipliciter, ſcilicet per eſſentiam, & per res ſenſibiles, aut etiam per effectus intelligibiles; ſimiliter etiam diſtinguendum eſt de eo, quod eſt homini naturale, id eſt, conforme ejus naturæ: Uni enim, & eidem rei eſt aliquid contra, & ſecundùm naturam, ſecundum ejus ſtatus diverſos, eo quòd non eſt eadem natura rei, dum eſt in fieri, & dum eſt in perfecto eſſe, ut dicit Raby Moyſes. Sicut quantitas completa eſt naturalis homini, cùm ad perfectam pervenerit ætatem; eſſet autem contra naturam puero, ſi in perfecta ætate naſceretur. Sic igitur dicendum eſt, quòd intelligentiæ humanæ ſecundùm quemlibet ſtatum eſt naturale aliquo modo cognoſcere DEUM, ſed in ſui principio, ſcilicet in ſtatu viæ eſt ei naturale, quod cognoſcit DEUM per creaturas ſenſibiles. Eſt etiam ei naturale, quod perveniat ad cognoſcendum DEUM per ſeipſum in ſui conſummatione, ſcilicet in patria. Et ſi in ſtatu viæ elevetur ad hoc quod cognoſcat DEUM, ſecundùm ſtatum patriæ, hoc erit contra naturam, ſicut eſſet contra naturam quod puer mox natus haberet barbam.

*Objectio.*

*Objicies.* Prius eſt anima in ſe conſiderata ſecundùm quod ſpiritus dicitur, quam prout eſt conjuncta corpori, ſecundùm quod dicitur anima, ſed animæ in quantum eſt ſpiritus proprius ejus actus eſt cognoſcere DEUM, & alias ſubſtantias ſeparatas; in quantum verò eſt corpori conjuncta ejus actus eſt cognoſcere res ſenſibiles; ergo prius eſt animæ cognoſcere intelligibilia, quàm ſenſibilia, ſi igitur utraque cognitio eſt animæ naturalis, non erit præter naturam, quod à ſenſibilibus abſtrahatur.

*Reſponſ.*

Huic objectioni reſpond. quòd illud quod eſt prius in intentione naturæ, eſt poſterius tempore, ſicut ſe habet actus ad potentiam in eodem ſuſceptibili, quia eſſe in actu, eſt prius à natura, quamvis una, & eadem res prius tempore ſit in potentia quàm in actu. Et ſimiliter operatio animæ in quantum eſt

ſpi-

ſpiritus,eſt prior quantum ad intentionem naturæ,ſed poſterior tempore. Unde ſi una operatio fiat in tempore alterius,hoc erit contra naturam.

*Deſinitio violenti à S. Thom. & Ariſtot. tradita.*

Circa primam concluſionem articuli adverte. 1. Quid ſit violentum, quòd à Divo Thoma in hac forma definitur: *Violentum dicitur cujus principium eſt extra, nil conferente eo quod vim patitur*, quæ quidem deſcriptio conformis eſt doctrinæ Ariſtotelis 3. *Ethic. cap.* 1. his verbis, *id violentum eſſe videtur, cujus principium eſt foris nihil prorſus eo conferente, cui vis eſt illata.* Ex quo communis diffinitio apud Philoſophos orta eſt, *Violentum eſt, quod eſt à principio extrinſeco paſſo non conferente vim*, in eandem ſententiam ita ſcribit Damaſcenus *lib. 2. de fide cap.* 24. Invitè fieri dicitur, *quod principium extrinſecus habet nihil ſuaptè motu, atque conatu ad actionem conferente eo, cui vis affertur.* Præterea Ariſtoteles 2. *lib. Ethicor. cap.* 8. Violentum ſolum vocat & diffinit; *quod eſt præter naturam*, aut *præter internum impetum.*

*Communis Philoſophorũ.*

*Violentia duplex: alia ex parte termini alia ex parte modi.*

Violentia igitur, ut docet hic D. Thomas poteſt eſſe duplex: alia ex parte termini, alia ex parte modi. Sicut lapidi dupliciter poteſt inferri vis: uno modo, ſi ſurſum projiciatur; alio; ſi velocius deorſum, quàm natura ſua poſtulat ab aliquo jactetur. Et hoc 2. modo docet raptum inferre violentiam homini, quia homo ab extrinſeco abſtrahitur, ſive levatur à modo connaturali intelligendi ſcilicet per ſenſibilia ad intelligibilia aſcendendo.

# DISPUTATIO PRIMA

## DE NATVRA, CAVSIS, ET SVBIECTO RAPTVS, diverſiſque ejus ſpeciebus.

### CAPVT I.

*Quid ſit Raptus generatim ſumptus.*

CUm Raptus poſſit cauſari à DEO, à dæmone, & ab aliis principiis; ideo prius oportet examinare, an detur aliqua definitio, ſive ratio communis, in qua conveniant omnes ſpecies raptus.

Raptus ex ſua natura, ut auctor eſt D. Thomas in *hoc articulo*, violentiam quandam alicui rei ab aliquo exteriori agente illatam denotat, per quam res transmutatur à ſua naturali ſive voluntaria inclinatione; at cùm inclinatio rei non ſolum includat finem, ſive terminum ad quem res ipſa inclinatur, ſed etiam modum tendendi in ipſum terminum, ſicut lapis, non ſolùm naturaliter inclinatur in centrum, ſed etiam, naturali quodam pondere, & motu ſibi proprio; & à natura inſito tendit in illud. Violentia quoque poteſt dupliciter inferri alicui rei; aut enim res quantum ad finem, ſive terminum violentatur, ut cùm lapis ſurſum projicitur, aut quantum ad modum, ut cùm velocius quàm ejus motus naturalis expoſcit, deorſum projicitur; oportet igitur inveſtigare in quibus operationibus, & à quibus agentibus anima hanc vim, ſive raptum patiatur.

*Potentiis animæ dupliciter poteſt violentia inferri, directè & indirectè; uterque modus exponitur.*

Sciendum præterea eſt, quòd potentiæ animæ dupliciter poſſunt violentiam pati: Primò directè, ſi omnino à propriis operationibus abſtrahantur, qua ratione omnes potentiæ animæ quantum ad ſuos actus ſimilem poſſunt violentiam perpeti, ut patet diſcurrendo per ſingulas: nam inprimis externi ſenſus in raptu non ſolùm debilitantur, ſed & omnino alienantur à ſuis operationibus. Idem quoque contingit in potentiis animæ interioribus. Nam ex vehementi animæ intentione, ſive applicatione ad unum actum, impediuntur, ac ceſſant operationes aliarum potentiarum; nam, ut optimè D. Thomas *prima ſecundæ q.* 77. *art.* 1. philoſophatur, idemque docuit ex ſententia D. Auguſt. *de veritate q.* 13. *art.* 3. *& alibi* ſæpe, cùm omne potentiæ, in una animæ eſſentia radicentur, neceſſe eſt, quòd quando animæ intentio vehementer ad unius potentiæ operationem trahitur, retrahitur ab operatione aliarum, quia ad quemlibet actum propria intentio requiritur, atque unius animæ non poſſit eſſe niſi una intentio, ſi tota animæ intentio in unum actum feratur, neceſſariò ab aliis operationibus omnino debet abſtrahi, & remitti. Quare ex vehementi imaginatione, ut patet in phreneticis, rationis uſus impeditur propter nimiam imaginationis applicationem, & ut docet Divus Thomas *hic art. ſequenti*, ex vehementi paſſione aliquando abſtrahitur homo ab operatione voluntati propriæ, & abuſu rationis; & in corpore articuli apertè docuit, voluntatem quando ad aliquid vehementer afficitur, tunc ex hujus amoris violentia hominem ab omnibus aliis operationibus alienari, & tunc voluntas dicitur cauſa raptus, quia cæteris potentiis infert hanc vim, ut ab omnibus ſuis operationibus alienentur, & hæc violentia magis accedit ad rationem, generice loquendo, quia potentiæ majorem coactionem patiuntur, dum omnino ab operatione ſibi propria prohibentur, & quanto magis abſtrahuntur, tanto major eſt in eis violentia raptus.

Quantò verò potentiæ ſunt inter ſe propinquiores, magis ſe invicem impediunt, ut docuit D. Thomas *de veritate, ubi ſupra*, imo non ſolùm animæ intentio vehemens tollit aliarum potentiarum operationes, ſive debilitat, ſed & in eadem potentia intentio vehemens circa unum illius potentiæ actum, impedit operationem in eadem potentia circa alios actus; ut apertè patet in intellectiva potentia, quæ dum vehementer intendit rerum acceptioni omnino impeditur pro tunc in ferendo de rebus acceptis judicio, ut latius agentes de prophetia ex mente D. Thomæ inferius oſtendemus.

*Quomodo indirectè vim patiantur.*

Secundò, animæ potentiæ indirectè vim pati dicuntur, cùm violentantur quantum ad modum tendendi ſibi connaturalem, & hac ratione affirmat D. Thomas raptum in vi cognoſcitiva reperiri, quia naturale eſt homini, ut per ſenſibilia veritatem cognoſcat, unde cùm à ſenſibilibus abſtractus veritatem intelligit, tunc cogitur intellectus quantum ad modum cognoſcendi per hoc quod modus naturalis homini à natura inſitus, eſt

per

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

per ſenſibilia ad intelligibilia pervenire, ac ut converſus ad ſenſus liberam habeat cognitionem, & liberum judicium, & non aliter. Abſtractus verò ab illis minimè, ita eruditè explicat D. Thomas 2. *Corinth.* 12. *lectione* 1. agens de eſſentia, & natura raptus, ubi, in quo conſiſtat hæc violentia rationi illata, his verbis declarat: *Sed ſciendum, quòd modus naturalis humanæ cognitionis eſt, ut cognoſcat ſimul per vim mentalem, quæ eſt intellectus, & corporalem, quæ eſt ſenſus. Et inde eſt quod homo non habet in cognoſcendo liberum judicium intellectus, niſi quando ſenſus fuerunt in ſuo vigore verè diſpoſiti abſque aliquo ligationis impedimento, alias cùm impediuntur, etiam judicium intellectus impeditur, ſicut in dormientibus patet. Tunc homo efficitur extra ſe ſecundùm cognitivam, quando removetur ab hac naturali diſpoſitione cognitionis, quæ eſt, ut intellectus ab uſu ſenſuum, & ſenſibilium rerum abſtractus ad aliqua videnda moveatur. Quod quidem contingit dupliciter, uno modo per defectum virtutis, undecumque talis defectus contingat, ſicut accidit in Phreneticis, & aliis mente captis, & hæc quidem abſtractio à ſenſibus non eſt elevatio hominis, ſed potius depreſſio, quia virtus eorum debilitatur. Alio verò modo per virtutem divinam, & tunc propriè dicitur elevatio.*

Unde ratio ex duplici principio, ut optimè docuit D. Thomas *prim. ſecunda, q.* 53. *art.* 3. poteſt quantum attinet ad præſens propoſitum abſorberi, ſive rapi; primò ratione intenſionis alterius potentiæ, ſicut quando delectatio vel dolor, aut amor ita fuerit vehemens, ut ad ſe omnem animi intentionem trahat, nam tunc uſus rationis totaliter impeditur. Et quanto potentiæ ſive actus potentiarum ſunt magis conjuncti, magis ſe impediunt, ut docet D. Tho. de *veritate q.* 12. *art.* 9. *ad* 4. ubi ponit exemplum de ratione inferiori, & ſuperiori.

Secundò impeditur uſus rationis ratione alicujus magnæ transmutationis corporalis, nam ſimiles perturbationes corporales, auferunt uſum rationis, ut patet in ebriis, qui habent uſum rationis ligatum, quia uſus rationis requirit debitum uſum imaginationis, & aliarum virium ſenſitivarum, quæ utuntur organo corporali; & ideo ex transmutatione corporali uſus rationis impeditur, impedito actu virtutis imaginativæ, & aliarum ſenſitivarum, & hæc eſt ratio quare ex læſione imaginationis, aut alterius ſenſus interioris, et iamſi exteriores ſenſus non abſtrahantur, uſus rationis læditur, ut patet in phreneticis, inſanis, & aliis.

Tertiò, intellectus dicitur vim pati, abſtractione totali à ſenſibus, ut nuper dictum eſt. Pati igitur violentiam, ſecundo & tertio modo, ex dictis proprium eſt cognoſcitivæ potentiæ. Primò verò modo commune eſt omnibus aliis potentiis, ut dictum eſt.

Ex quo clarè infertur primò raptum in quantum adfert vim potentiæ quæ rapitur, tantum eſſe in vi cognoſcitiva, nempe intellectu, aut imaginatione, ut docet D. Thomas hic *art.* 2. & nos latius dicemus inferius.

*Diſcrimen inter voluntatem & alias animæ potentias.*

Secundò infertur, quòd in omnibus aliis potentiis à voluntate in raptu reperiatur aliud genus violentiæ, nempe illam potentiam ita eſſe vehementer actuatam, ac intentam circa propriam operationem, ut pro tunc non poſſit obedire voluntati, cum quælibet potentia, apta nata ſit voluntati obedire, imò etiam in voluntate ſimile coactionis genus invenies; nam voluntate circa propriam actionem vehementer intenſa, & actuata, ita ut omnino extra ſe fiat ſibi ipſi imperanti non poteſt acquieſcere, quod proprium & connaturale ſibi eſſe ſolet. Voluntas enim ſibi, ſicut & aliis potentiis imperat, quæ licet quoad actus elicitos cogi non poſſit, poteſt tamen quoad imperatos. Ex quo facilè intelliges in quolibet raptu multiplicem in animæ potentiis reperiri violentiam, in primis quidem ipſa potentia, quæ rapitur quæcumque illa ſit, ex vehementi circa objectum actuatione aliqualiter cogitur, ſive neceſſitatur, quamquam major ſit coactio in intellectu, & voluntate, eo modo quo diximus, quàm in aliis potentiis. 2. Reperitur etiam violentia in aliis potentiis, quæ ad actuationem vehementem alterius à propriis operationibus ſuſpenduntur. 3. Demum potentiæ cogi dicuntur penes hoc, quòd omnes tunc ſive ratione ſuſpenſionis à ſuis operationibus, ſive ratione intenſæ operationis, ob quam non poſſunt voluntati obedire vim patiantur.

*Duo in quolibet raptu reperiuntur.*

Denique ex dictis infertur in quolibet raptu duo reperiri, nempe intenſam actuationem potentiæ illius, quæ ad ſuperiora elevatur, ſive ad infima deprimitur; dico, *deprimitur*, quia nunc ſermo eſt de raptu generatim ſumpto, ſive proveniat à DEO, ſive à dæmone, ſive ab infirmitate corporali, per remiſſionem ſive abſtractionem aliarum potentiarum à ſuis actibus. Hæc autem abſtractio vel eſt omnimoda, ita ut potentia in unum actum exeat, ut cùm ſenſus exteriores ſuſpenduntur, aut cùm ratio quantum ad vim, & actum judicandi omnino ſuſpenditur, & tunc dicitur abſtracta, alienata, ſuſpenſa, abſorpta illius potentiæ operatio, aut ipſa potentia, hoc eſt quantum ad exercitium propriæ operationis, vel eſt alienatio imperfecta, nempe, cùm potentiæ non omnino ceſſant à ſuis operationibus, exercent tamen illas imperfectè, quòd duobus modis poteſt contingere; vel quia debiliter, & remiſſè operentur, ſicut fit quando homo non omnino à ſenſibus alienatus, aliqualiter audit, aut ſentit; vel quia imperfectè, & defectuosè eas exercent, ut cùm ratio in alienatis à ſenſibus fert de rebus judicium imperfectum, ſicut contingit in ſomno, & hæc imperfectio potentiarum appellatur remiſſio, debilitatio, ſive turbatio potentiarum in ſuis operationibus, quia privantur ſibi debito, & connaturali modo operandi.

*Definitio raptus generice ſumpti.*

Unde Raptus abſolutè, ut includit communem raptus rationem, ſic poteſt definiri: *Eſt actuatio fortis & vehemens alicujus potentiæ in ſua operatione, omnino ſuſpenſis, vel debilitatis aliarum potentiarum operationibus.* Dicitur *fortis ac vehemens actuatio*, quia talis debet eſſe operatio contingens in raptu, ut ad ſe omnem animæ intentionem, vel ſaltem majorem partem trahat, ita ut cæteræ potentiæ hac animæ intentione privatæ, vel remiſſæ admodum participantes ſtatim à ſuis operationibus ceſſare cogantur, vel eas debiliter, & imperfectè exerceant. Hæc autem raptus generatim ſumpti definitio continet ſub ſe omnes raptus ſpecies, nempe raptum divinum, qui à DEO cauſatur, & illum qui à dæmone, atque eum, qui à propria intentione, vel infirmitate procedit; de quibus ſpeciatim diſſeremus.

*Duæ ſunt præcipuæ divini raptus ſpecies & quænam illæ.*

Sed prius advertas duas præcipuas ſpecies divini raptus in ea comprehendi. Altera, quæ dicitur *Raptus*; altera verò *Ecſtaſis* nuncupatur. *Raptus* ſpecificè ſumptus importat violentiam, qua quis à DEO elevatus, ac extra ſe conſtitutus, ad divina rapitur. *Ecſtaſis* verò

tan-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

tantùm abſtractionem à ſenſibus importat, cùm quis juxta propriam inclinationem ad divina ſuſpenditur; unde raptus divinus genericè acceptus tantùm elevationem ad ſuperna cum alienatione à ſenſibus includit, ſive iſta elevatio ſit violenta, & contra propriam inclinationem, ſive juxta illam. De his ſpeciebus raptus divini inferiùs copioſiùs agemus. Prius tamen oportet de cauſis raptus generatim ſumpti breviter diſſerere.

## CAPUT II.

### *De cauſis efficientibus Raptum; & primò de Raptu à dæmone cauſato.*

*Raptus aliæ ſunt cauſæ intrinſeca, aliæ extrinſeca, & quænam illæ.*

DIvus Thomas quinque enumerat cauſas efficientes Raptum, ſi loquamur de raptu generatim ſumpto, prout dicit abſtractionem à ſenſibus. Aliæ ſunt extrinſecæ, quales ſunt dæmon, ægritudo, & DEUS ipſe, de quibus D. Thomas *hoc art.* 1. Aliæ intrinſecæ, quæ reducuntur ad duo principia; nempe ad amorem, & ad animæ intenſionem. De amore ecſtaſim cauſante D. Thomas *art.* 2. & Cajetan. *hic art.* 1. De raptu verò ab intentione animæ proveniente egit D. Tho. *q.* 173. *art.* 3. & *de veritate, q.* 12. *art.* 3. *in corpor.* & *q.* 13. *art.* 1. *ad argumenta.*

Dæmonis virtute poſſe fieri, ut anima à ſenſibus omnino abſtrahatur, experientia ipſa conſtat in arreptitiis; quà verò ratione diabolus poſſit hunc raptum, ſive ecſtaſim efficere non eſt difficile inveſtigare. Poteſt enim diabolus ligare, vel ſolvere exteriores ſenſus, idque duobus modis.

*Duplex aſſignatur & explicatur modus, quo dæmon poteſt exteriores ſolvere & ligare ſenſus.*

Prior eſt quando illos tramites obſtruit, quibus à cerebro ſpiritus ſenſitivi ad exteriores ſenſus derivantur, velut contingit in ſomniantibus. Poſterior verò quando eoſdem ſpiritus ſenſitivos ab exterioribus ſenſibus, ad interni ſenſus organa attrahit, ibique retinet ne ad internorum ſenſuum organa queant deſcendere.

Hoc autem manifeſta ratione probatur: quia dæmon poteſt ita vehementer applicare imaginationem alicui objecto, ut ex hac nimia, & vehementi applicatione impediatur, & obſtruatur via, per quam ſpiritus ſenſitivi ad exteriores ſenſus penetrant. Igitur poteſt cauſare raptum, ac ſenſuum exteriorum functiones ita ſuſpendere, ut corpus vivum cadaveris mortui, & immobilis ſpeciem præ ſe ferre videatur.

Secundò, quia multæ res naturales, ut docet D. Thomas *queſt.* 13. *de veritate* habent naturales virtutes evocandi mentem à ſenſibus, ut herbæ, vel lapides, in quantum obſtupefaciunt ſenſus, poterit igitur dæmon facilè his pro voluntate uti.

Tertiò, quòd raptus non excedat virtutes diaboli, facilè probatur ex ſagarum, & magorum ecſtaſi: qui cùm in uno loco maneant ſoporati, variis tamen in locis ſe fuiſſe, & varia vidiſſe, & peregiſſe, decepti ſæpè arbitrantur, ut refert Olaus *lib.* 3. *diſquis. mag. fol.* 102. de ſeptentrionalis Regni deſcriptione *ca.* 18. his verbis:

*Exoticâ magorum ecſtaſis.*

*Si quis peregrinus cupiat de ſuorum conditione certi quid cognoſcere, præſtant, ut intra viginti quatuor horarum ſpatium reſciſcat, quid cum illis agatur, vel ſi trecentis miliaribus abſint: hoc modo. Incantator poſtquam uſitatis cæremoniis deos ſuos compellavit, ſubitò collabitur, & exanimatur, quaſi extincto illo revera excedat à corpore anima. Neque enim, aut ſpiritus in eo reliquus eſſe, aut reſtare cum vita ſenſus aliquis, aut motus videtur, ſed ut adſint ſemper aliqui oportet, qui projectum, & exanime corpus cuſtodiant, quod cùm non fit, dæmones illud abripiunt.* Hæc ille.

*Quid dæmones in naturalibus præſtare poſſint.*

Demum quartò probatur, quia in naturalibus eadem facultate, & vi, quâ Angelus bonus etiam & dæmon præditus eſt, quare idem poterit præſtare ac bonus Angelus; ſicut ergo poteſt Angelus alienare homines à ſenſibus, ac his alienatis futura revelare, ſic & dæmon idipſum efficere poterit. Unde cùm dæmon, ut egregiè docet D. Thom. *prima parte q.* 111. *art.* 3. operari poſſit in hominis imaginatione, & phantaſia, non quidem imprimendo novas formas rerum; ſed potius per motum localem immutando ſpiritus, & humores, & formas in organis ſenſibilibus conſervatas. Poteſt quoque raptum facere, ſeu alienationem à ſenſibus, ut expreſsè docuit idem D. Thom. *art.* 1. *hujus quæſt.*

Ex quo infero cum D. Auguſt. *lib.* 12. *de Geneſi ad literam cap.* 19. quòd cùm malus ſpiritus aliquos arripit, aut dæmoniacos facit, aut arreptitios, aut falſos prophetas, nam quando dæmon corpus humanum poſſidet, & omnino ejus mentem perturbat, dæmoniacos facit; ſi verò, mente impedita hominem à ſenſibus alienatum aliqua efficiat divinare, arreptitios facit, & furioſos, ſive hoc contingat illa viſione, ſive ſpectro in phantaſia repræſentato, ita ut dæmon hominis lingua ad nutum utatur, ad proferendum quidquid velit, ſive cauſandi viſionem in imaginatione, & ea facit, ut arreptitius furore concitus plura proferat ſive hoc, ſive illo ſermonis idiomate. De his Chryſoſt. *homil.* 29. *ſuper* 1. *Cor.* 12. loquitur, dum, inquit, vatis proprium eſt mente commoveri, & neceſſariò compelli, & trahi tanquam furiis percitum, &c. ut plenius de propheria diſſerentes dicemus. Si autem hoc modo dæmonis opera viſiones in imaginatione cauſentur, ita ut mens arreptitii non percipiat, niſi ea, quæ dæmon per locutionem voluerit ei ex illis viſionibus manifeſtari, tunc prodeunt falſi Prophetæ, ſive quòd falſa prædicent, ſive quod vera, ſed non ultra dæmonis intelligentiam inſpirantis eam, quaſi fuiſſent vera futura, quæ prænuntiare ſolius DEI eſt.

*Objectio.*

Dices, dæmon non poteſt applicare mentem ad intelligendum, niſi cum vehementi attentione, cùm non poſſit in ipſam mentem immediatè agere; immò nec in phantaſiam niſi applicando objecta ſeu phantaſmata.

*Solutio.*

Reſpondetur dæmonem non poſſe per vehementem quidem applicationem intellectus ecſtaſim cauſare. Poteſt tamen in ſenſibus internis id efficere dupliciter. Primò per nimiam applicationem imaginationis, ad aliquod objectum; nam ſi homo ex propria intentione, ut inferius dicemus, poteſt naturaliter ſeipſum vehementer applicare, ita ut à ſenſibus omnino abſtrahatur, cur dæmon id non poterit efficere? 2. & maximè hanc ecſtaſim poteſt cauſare per obſtructionem viarum, qua impedit ne ſpiritus animales à cerebro ad ſenſus deſcendant, & ſic ſenſus manent quaſi ſopiti, & tunc illa ecſtaſis magis contingit per modum ſomni, quàm per proprium raptum.

## CAPVT III.

### *De Raptu ex propria intentione.*

*Duplex raptus ex propria intentione ſpecies.*

EX propria intentione diximus ex mente Divi Thomæ *articulo* 1. *hujus quæſtionis*, raptum etiam cauſari, quod contingere poteſt dupliciter. Primò, per naturalem vim, & applicationem voluntariam circa objectum aliquod naturale. Secundò poteſt intelligi, an ex propria intentione ita poſſit ſe quis vehementer applicare divinæ contemplationi, ut ad hujusmodi mentis vehementem applicationem ſequatur alienatio à ſenſibus.

Prima concluſio: *Certum eſt, ecſtaſim poſſe cauſari, voluntaria, & vehementi applicatione voluntatis circa divinum amorem.* Ita expreſsè docet Divus Thomas hîc *articulo ſecundo*, & de ipſo Angelico Doctore docet Cajetanus *articulo primo hujus quæſtionis*, quòd tam familiaris erat D. Thomæ ecſtaſis, ut quaſi ad nutum illam habuiſſe videatur. Idem quoque refertur in hiſtoria ſancti Franciſci de beato Egidio ſancti Franciſci diſcipulo, qui audita hac voce *Paradiſus* ſtatim mentis exceſſum patiebatur. Idem quod de ecſtaſi, de raptu, qui in potentia cognoſcitiva ſedem habet, cenſendum exiſtimo; nam ut ex dicendis infra conſtabit, nulla eſt contemplationis ſpecies, quæ non poſſit raptum efficere. Unde poteſt alicui ita eſſe familiaris aliqua contemplatio (loquor de contemplatione cauſante Raptum) ut vertatur in conſuetudinem, & quotidianum fere uſum, nec video ullam inveniri in hoc implicationem, aut difficultatem; nam ſi ex nimia applicatione imaginativæ, aut intellectivæ potentiæ naturaliter alienatio à ſenſibus in multis Philoſophis conſequebatur, ut ſtatim dicemus, cur id fieri negabimus, vehementi amore, divinis illuſtrationibus accedentibus.

Hanc quoque ſententiam Richardus ſancti Victoris *libro* 4. *de contemplatione capite* 23. eruditè tradit atque confirmat dicens: *Eorum autem, qui ſuis contemplationibus ſupra ſeipſos ducuntur, & uſque ad mentis exceſſum rapiuntur, alij hoc expectant, & accipiunt uſque adhuc ex ſola vocante gratia, alij verò ut hoc poſſint ſibi comparant (cum gratiæ tamen cooperatione) ex magna animi induſtria; & illi quidem hoc donum quaſi fortuitum habent, iſti verò jam velut ex virtute poſſident. Quaſi fortuitum cuique eſt illud, quod quando vult, vel prout vult nullo modo poteſt. Velut fortuitum igitur hoc habent, qui in hoc nihil ex propria induſtria valent, ſed ſolam vocantis gratiæ horam expectant. Iam verò velut ex virtute ejusmodi gratiæ efficaciam habere dicendi ſunt, qui ex magna jam parte id poſſunt cùm volunt.* Et infrà in fine capitis. *Hoc ſolùm inter utriusque actum quantum ad myſticam traditionem differt, quòd unus ex ſola Domini vocatione, alter ex propria deliberatione ad ſecretum illud divinæ revelationis alloquium ſubintrabat.*

*Raptus dantur alij quaſi fortuiti, alij quaſi voluntarij, & quinam illi.*

Ferè idem ſub aliorum verborum tenore repetit *libro quinto de contemplatione, capite quarto* his verbis: *Supra induſtriam itaque, non autem ſupra naturam videtur eſſe, per aera iter habere; ſupra induſtriæ itaque ſuæ metas contemplativa anima aſcendit, quando divina dignatio arcanorum ſuorum manifeſtatione, & quaſi alarum ſuarum expanſione, vel ſublevatione in illud ſupereminentis ſcientiæ faſtigium eam attollit, quò nulla unquam ſua induſtria ire poſſit. Sed illa mentis ſublevatio humanæ prorſus naturæ (ut videtur) modum tranſcendit, ad quam Propheta ſuſpiravit cùm dixit: Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam. In idem reſpicit quod DEVS per Iſaiam promittit: Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ut aquilæ. Supra humanam naturam eſt procul dubiò pennas habere, & pro voluntatis arbitrio ad alta volare. Quid eſt autem pennas quaſi contra naturam accipere, niſi miram quandam contemplandi efficaciam ex virtute poſſidere, quo poſſis cùm volueris in ſecretioris ſcientiæ ardua, & omni humanæ induſtriæ invia perſpicacia tua penna penetrare?*

Præterea *capite* 6. *ejusdem libri* docet majorem eſſe quantum ad meritum, elevationem mentis in raptu, quæ favente gratia ex propria intentione, & intentione contingit, quàm illa, quæ ſurgit ex ſola inſpiratione divina. Et *capite* 7. probat animam ſæpè ex æſtuanti DEI deſiderio ad divina rapi.

Exiſtimo tamen in ſimili ecſtaſi vel raptu frequenter non fieri omnimodam à ſenſibus alienationem, ſed imperfectam tantùm, ac hujusmodi raptum ſive ecſtaſim à propria intentione provenientem, multum differre à raptu ſive ecſtaſi à DEO divinitùs cauſatam; tum in modo, tum in plenitudine amoris, & lucis, aliorumve effectuum ſupernaturalium, quia iſti qui à DEO procedunt, quaſi in inſtanti contingunt, neque ſæpè in noſtra eſt poteſtate eis reſiſtere; quæ verò à propria procedunt intentione, paulatim cauſantur, ac in initio facilis eſt reſiſtentia: Quare ut optimè notavit Richardus *lib.* 4. *de contemplat. ubi ſuprà*, Raptus alius eſt fortuitus, alius quaſi voluntarius.

*Diſcrimen inter raptus & ecſtaſes à Deo, & à propria intentione procedentes.*

Secunda Concluſio: *Ecſtaſis, ſive Raptus cauſari etiam poſſunt ex vi naturalis contemplationis, etiamſi fiat per ſolam ſpeculationem ſine ullo affectu.* Hanc ſententiam tenent omnes ferè Authores, qui de Raptu & ecſtaſi ſcripſerunt. Cajetanus, *ubi infrà*, Gerſon, Marſilius Ficinus *libro* 13. *de immortalitate animæ*, quòd multis antiquorum Philoſophorum exemplis comprobatur. De Triſmegiſto, Socrate, & Platone fertur in contemplatione rerum divinarum ſolitos fuiſſe à ſenſibus alienari. Carneades Philoſophus tanta ad id quod concepta intentione ferebatur, ut ad menſam ſedens non cibum, non potum ſumebat, neque ſumptum ori inferre meminerat, niſi Meliſſa ejus conjux apprehenſa leviter ejus dextera ad obſequium neglecti corporis moviſſet. De quo Valerius hæc recitans dixit, ipſum ſolùm anima vixiſſe, corpore autem fuiſſe circumdatum, tanquam re inutili, & extranea. Gerſon de monte contemplationis *cap.* 31. de Archimenede Philoſopho, & aliis ita ſcribit: *Talem ſimiliter modum raptus percipiunt ſæpè ſtudentes ipſi aliquid ſubtilitatis compilare molientes. Pictores ſuo modo facere conſueverunt, ſicut ego teneo; aliique opifices ſubtilium, poſiti in imaginationibus fortibus. Recitaturque de Philoſopho quodam nomine Archimenides excellenti geometro, qui imaginaliter deliberavit facere ingenia ſubtilia ad bellandum, & defendendas, invadendasq; civitates. Vnde accidit civitatem quā inhabitabat dictus Philoſophus ab inimicis debellari: Princeps autem exercitus præcepit ne antedictus Philoſophus occideretur. Sed à caſu quidā eundē ſuas figuras protrahentē ſecundùm ſcientiā geometriæ*

*Admirandis hoc comprobatur exemplis.*

*reperit, quæſivitq́, ab eo quo nomine appellaretur. Ipſe verò tam fixè ſuarum figurarum formationibus intentus extitit, ut quid ſibi iſte interrogans diceret, penitus ignoraret, niſi quod inſinuabat eidem, quod ſe non impediret, nihil aliud reſpondens, unde idcircò vitam perdidit. Ecce quàm fortis erat meditatio, ut ob ejus vigoroſitatem civitatis ſuæ expugnationem non perciperet, atque nec inimicum quidem agnovit ipſum occidentem.*

*Platonis de ſeipſo teſtimonium.*

Præterea ſic Platonem de ſeipſo narraſſe teſtatur Auctor operis de divina ſcientia ſecundùm Ægyptios lib. 1. cap. 4. *Ego ſæpius animo contemplans relicto corpore viſus ſum perfrui ſummo bono cum voluptate incredibili. Quare hæſi quodammodo attonitus, agnoſcens me eſſe partem quandam ſuperioris mundi, atque adeptum ſentiens vitæ immortalitatem, ſub luce maxima, quæ neque oratione exprimi poteſt, neque auribus percipi, neque cogitatione comprehendi; tandem verò hac contemplatione defeſſus intellectus, recidit in phantaſiam, tunc illa luce deficiente factus ſum triſtior.*

Tale quiddam &c. initio Pimandri legitur de Mercurio Triſmegiſto, qui in contemplatione naturæ, ſopitis jam corporis ſenſibus, à divina mente raptum ſe ait, & de iis quæ ſcire optabat ab eadem inſtitutum. Socratem etiam commemorat Alcibiades in convivio, aliquando uno gradu diem, & noctem uſque ad ſolis exortum ſtetiſſe in medio exercitu cogitabundum. Cùm igitur has à ſenſibus abſtractiones miraculo accidiſſe non ſit veriſimile: concedendum erit poſſe facultate naturæ ecſtaſim dari, & in hac opinione videtur eſſe Ficinus *libro 13. de immortalitate animorum capite decimo quarto.* Ubi aſſerit hoc unum eſſe ex argumentis, quibus animæ rationalis à corpore ſolutio, atque immortalitas comprobatur.

Ratione etiam probatur, quia anima totam ſuam vim, & attentionem ad interiores actus retrahente, tunc tota virtus naturalis ejus ita circa eos intenditur, ut externis ſenſibus non attendat, nec ſpiritus ad ſentiendum neceſſarios illis miniſtret, quia virtus animæ eſt finita, & ideo abſorpta vehementer in ſuperioribus, ac internis tota intenta actionibus, non poteſt ſimul ad inferiores, & externas deſcendere, & attendere.

Quod confirmari quoque poteſt ex hiſtoria cujuſdam ſacerdotis, de quo refert Auguſt. 14. *de Civitate Dei cap. 24.* quod ad nutum ſuum rapiebatur, ita ut quàmvis non omnino privaretur ſenſatione externa, vix tamen aliquid ſentiebat. Verba Auguſtini audiamus.

*Iam illud multo eſt incredibilius, quòd plerique fratres memoria recentiſſima experti ſunt. Presbyter fuit quidam nomine Reſtitutus in Paræcia Calamenſis Eccleſiæ; qui quando ei placebat (rogabatur autem, ut hoc faceret ab eis, qui rem mirabilem coram ſcire cupiebant) ad imitatas quaſi lamentantis cujuslibet hominis voces, ita ſe auferebat à ſenſibus & jacebat ſimillimus mortuo, ut non ſolùm vellicantes, atque pungentes minime ſentiret, ſed aliquando etiam igne ureretur admoto, ſine ullo doloris ſenſu, niſi poſtmodum ex vulnere. Non autem obnitendo, ſed non ſentiendo, non movere corpus eo probabatur, quod tanquam in defuncto nullus inveniebatur anhelitus: hominum tamen voces ſi clarius loquerentur, tanquam de longinquo ſe audire poſtea referebat.* Hæc Auguſtinus, qui *lib. 12. ſuper Geneſim ad litteram* idem ferè repetit.

Ex quibus infertur Martinum del Rio *libro 2. diſquiſit. Magic. queſt. 25.* manifeſte fuiſſe deceptum, in eo quòd aſſerit non eſſe poſſibilem talem abſtractionem à ſenſibus naturaliter fieri poſſe, niſi operatione divina, aut præſtigio dæmonis; ea ductus ratione, quia tanta animi attentio, & elevatio non videtur eſſe in poteſtate noſtra, ut omnes experimur, cùm contrarium doceant Divus Auguſtinus *ubi ſupra.* D. Thomas *quæſtione 175. articulo 1. & 2.* cæterique Auctores ſuperius adducti; nec facilè debent iſti raptus naturales dæmonis operationi adſcribi, quia licet non ſit dubium dæmones poſſe hac ratione ſenſus ligare, ut ſuperius diximus, tamen ubi non conſtat expreſsè, vel non apparent ſigna, vel effectus operationis dæmoniacæ, non eſt illi adſcribendus ſimilis effectus.

Neque facile invenies ullam implicationem in iſta naturali, & vehementi applicatione; quia iſtud genus raptus naturalis multum poteſt dependere ex diſpoſitione phantaſiæ, & ex conſuetudine, aut delectatione, quam uſitata ſpeculatio, ſive meditatio ſecum affert; quare interdum talis poteſt eſſe diſpoſitio phantaſiæ, tantaque conſuetudo cum delectatione conjuncta, ut eo ipſo quo quis voluntariè applicatur ad conſiderandum, vel meditandum, ab ipſis objectis ita vehementer trahatur, ut gradatim procedat uſque ad ecſtaſim ſive raptum.

In contemplatione verò vehementi, quando anima, propria intentione, & induſtria extra ſe ponitur, tunc non eſt dubium, quin hoc fiat divina cooperante inſpiratione, ut ſuperius ex Richardo docuimus.

## CAPVT IV.

### *Qua ratione ab ægritudine cauſetur Raptus.*

INter alias cauſas Raptus D. Thomas *hoc articulo 1.* enumerat ægritudinem, ex qua ſæpè raptum procedere docuerunt D. Thomas *jam dicto articulo,* & *prima parte quæſtione 111. articulo 3. in corpore,* & *de veritate quæſtione 13. articulo 1.* & D. Auguſtinus *libro 12. ſuper Geneſim ad litteram cap. 12. 21. & 23.* expreſsè docuit, communiſque tradit experientia medicorum. Nam in Epilepticis ac phreneticis ita ſenſus ratione ægritudinis ſtupeſcere aiunt, ut in eis organum tactus immobilitari, ſeu ſuo vigore orbatum eſſe videatur.

Cauſam verò à qua in Phreneticis, aut furioſis, raptus proveniat, docet Auguſtinus *ubi ſupra capite 21.* dicens: *Nam phrenetici non dormiendo potius perturbatas habent ſentiendi vias in capite, ut talia videant qualia ſomniantes vident. Cùm ergò illud fiat non dormiendo, hoc autem dormiendo, non tamen ea, quæ videntur ex alio genere ſunt quàm ex natura ſpiritus* (id eſt, imaginationis) *de quo, vel in quo fiunt ſimilitudines corporum.*

Divus verò Thomas *loco citato 1. partis* eandem ferè cauſam demonſtravit. *Tanta,* inquit, *poteſt eſſe commotio ſpirituum, & humorum, quod hujuſmodi apparitiones etiam vigilantibus fiant, ſicut patet in phreneticis, & in aliis hujuſmodi.*

Ubi

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ubi Cajetanus prudenter advertit apparitionem imaginariam, quæ frequentius in Raptu contingit, ex tribus poſſe provenire cauſis; ſcilicet ex voluntate imaginantis, ex commotione naturæ ſanæ, vel ægræ, & ex commotione ab extrinſeca cauſa, ſcilicet ab Angelo; interdum ex prima, interdum ex ſecunda, ita interdum ex tertia provenit.

Ægritudo autem dupliciter poteſt cauſare Raptum, aliquando hominem rapit abſque alienatione à ſenſibus, ut expreſſè docuit D. Auguſtinus *dicto cap. 12.* *Cùm autem,* ait, *aliqua vi morbi, ut in phreneticis, & per febrem accidere ſolet, ita corporalium rerum in ſpiritu exprimuntur imagines, tanquam ipſis corporis ſenſibus corpora præſententur, manente tamen etiam in ſenſibus corporis intentione, ſic tunc videntur, quæ in ſpiritu fiunt imagines corporum, quemadmodum corpora ipſa per corpus: ita ut ſimul cernatur, & homo aliquis præſens oculis, & abſens alius ſpiritu tanquam oculis.* Quam ſententiam docuit etiam D. Thomas *dicto art. 3.* & ibi Cajetanus his verbis: *Rurſus, quia commotio & apparitio iſta dupliciter ſe habet ad ſenſus exteriores quia ſcilicet quandoque retrahit ab eis, & quandoque non, ideo ad pleniorem doctrinam appoſuit D. Thomas, eam fieri quandoque comitantibus ſenſibus, quandoque autem cum alienatione à corporeis ſenſibus;* aliquando verò ægritudo alienationem cauſat à ſenſibus, ut experientia docet, & tradit D. Thomas *de veritate, quæſt. 10. art. 9. in corpore.*

Quæ quidem doctrina communis eſt medicorum, imo experientia ipſa comprobatur, multos ſanè videmus phrenitide laborantes, qui clauſis oculis delirè loquuntur de viſionibus imaginariis. Præterea etiam multos conſpicimus eodem morbo affectos, præpeditis oculis videre ſe quam plurima affirmantes; ac demum alios, qui apertis oculis, quæ adſunt omnia cernere, ac præterea viſio ſolius phantaſiæ, aliquid quod non adeſt, putare ſe certo videre, imo etiam apertis oculis nihil videre, imaginatione ipſa interius errante circa ſpectabilia, nullum errandi principium ab oculis accipiens, ut optime docuit Valles *libro 1. controverſiarum capite 13.* qui addit: *quod oculo puriſſimo exiſtente, cui tales reddantur imagines, quales res ipſæ ſunt, affectionem tamen non ſentiente anima, perinde tunc hominem ſe habere ac ſi eſſet eo tempore cæcus; unde mens cùm ab his, quæ oculum hominis egrediuntur omnino eſt aliena, res alias fingere, ut faciunt dormientes, & cæci, qui delirant, quare poteſt errare imaginandi vis circa viſibilia. etiamſi proprium cernendi inſtrumentum non patiatur.*

*An ſit de eſſentia raptus alienatio à ſenſibus.*

Ex quibus conjicio non eſſe de eſſentia raptus, à ſenſibus alienati, nam arreptitii, & phrenetici vident, tangunt, & loquuntur, ſed quod ita ſint à ſenſibus abſtracti, & averſi, ut illorum uſu, & exercitio perfectè careant; quamvis ipſi ſenſus illæſi permaneant; phrenetici enim ſalva vi ſentiendi externa, vitium in imaginatione patiuntur, ſicut & alii ſenſibus externis læſis, ratio, & imaginatio minimè læduntur, inter hos autem non parum diſcriminis verſatur; nam illi ex phrenitide, vel ex alia ægritudine imaginationis vi læſa non poſſunt habere perfectum judicium circa operationes ſenſuum externorum, nec poſſunt habere uſum perfectum omnium ſenſuum, ita enim ſunt rapti & avocati ab infirmitate, ſive à nimia imaginationis apprehenſione, ut vix poſſint diſcernere objecta ſenſuum exteriorum, & ſic decipiuntur, nam ut docet D. Thomas *prima parte, quæſtione 84. articulo 8.* Judicium ut perfectum ſit debet reduci & reſolvi ad ſenſus exteriores, hi verò cùm habeant mentem ſanam, ac imaginationem illæſam, facilè judicant ſe habere ſenſus externos læſos, ut optime docuit Valles. *lib. 5. controverſ. ubi ſupra.*

*Similes raptus ex vehementia corporalis doloris cauſari poſſunt.*

Ex vehementi quoque corporis dolore ſimiles etiam raptus cauſari ſolent. Solet enim aliquando doloris vehementia hominem ita à ſenſibus eripere, ut ferè nihil ſenſibus percipiat. Hanc ſententiam confirmat Auguſtinus *libro 12. ſuper Geneſim capite 17.* exemplo cujuſdam pueri, qui *cùm dolorem acerrimum pateretur, ejulabat vehementer cum jactatione membrorum mente ſaniſſima, ſicut in cruciatibus corporalium dolorum fieri ſolet. Deinde,* inquit, *inter voces ſuas abripiebatur ab omnibus ſenſibus, & jacebat patentibus oculis neminem circumſtantium videns, ad nullam vellicationem ſe movens: Poſt aliquantulum evigilans, nec jam dolens, quem viderat indicabat.* Hæc Auguſtinus. Aliquando etiam cruciatus, & dolores ita hominem vehementer torquere ſolent, ut omnino à ſenſibus abſtractus, nihil omnino mente percipiens quaſi mortuus illo tempore quo affectio iſta, ſive paroxyſmus durat, permaneat: aliquando verò animo non tam corporis dolore, quàm ſpirituali pœna, ita interius afficitur, ut ex vehementia pœnæ à ſenſibus avertatur: hanc verò raptus ſpeciem non tam ab ægritudine, ſive dolore naturali, quàm ab ipſo DEO immediatè cauſari ſolere, fuiſſeque in beatiſſima Virgine hujuſmodi ecſtaſim, ac quandoque in aliis puriſſimis animabus inferius demonſtrabimus.

Nec dubium videtur ſimiles raptus poſſe cauſari ex vehementia aliarum paſſionum, ut ex amore etiam turpi, ex ingenti triſtitia, ac præcipuè ex melancholia, nec mirum; nam cùm hujuſmodi ecſtaſis ex corporali ægritudine provenire ſoleat, paſſiones autem animi ægritudines ſint, & morbi quibus animus afficitur, non mirum ſi cum vehementes ſint, hominem extra ſeipſum aliquando abducant; quare nomine infirmitatis intelligi debet quilibet defectus corporalis virtutis, qualis eſt transmutatio corporalis, quæ impedit debitum uſum imaginationis, quæ frequenter ſequitur ex vehementioribus paſſionibus, amoris, doloris, delectationis, & aliarum ſimilium.

## CAPVT V.

### *Quæ ſit cauſa efficiens & finalis Raptus divini.*

*Raptus divinus à ſolo Deo procedere poteſt.*

CONcluſio eſt certa, divinum ſcilicet Raptum à ſolo DEO poſſe cauſari; quam docet D. Thomas *2. 2. quæſtione 175. articulo 1.* & *de veritate quæſt. 13. art. 1.* quam probat ea ratione; quia raptus eſt mentis humanæ elevatio ab eo quod eſt ſecundùm ipſius naturam in id, quod ſupra naturam vi ſuperioris naturæ facta; propria autem hominis, in quantum homo, operatio, eſt intelligere mediante imaginatione, & ſenſu, operatio enim ejus, quâ ſolis intellectualibus inhæret, omnibus inferioribus prætermiſſis

*Vid. noſt. Dominicè à SS. Trinit. Tom. 7. Bibliothecæ Theologicæ lib. 7. ſect. 7. cap. 4.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mittit non eſt ejus in quantum eſt homo: ſed in quantum in eo aliquid divinum exiſtit; tunc igitur à naturali modo ſuæ cognitionis transmutatur, quando à ſenſibus abſtractus aliqua præter ſenſum inſpicit: ſed talis abſtractio à ſenſibus, cum elevatione ad divina intuenda non poteſt fieri niſi virtute divina, igitur cauſa raptus eſt ipſe DEUS.

Præterea confirmatur, quia ex ſententia D. Auguſtini *lib.* 10. *de Trinitate cap.* 4. ad actum cujuslibet cognoſcentis potētiæ requiritur intētio. Quare potentiæ ſenſitivæ, & intellectivæ in homine ſe invicem impediunt, unde quanto potentia ſenſitiva magis adhæret ſuo objecto, tanto magis remiſſus eſt intellectus circa intelligibilia, ejusq; puritas magis inclinatur per ſenſibilia, quibus indiget ad ſuam operationem, igitur neceſſariò ſuperiores potentiæ, ut percipiant divina, elevandæ ſunt, & abſtrahendæ ab uſu, & exercitio inferiorum; nam anima, quo magis à corporalibus abſtrahitur, eò aptior redditur ad percipienda divina.

Pro majore verò hujus concluſionis explicatione notandum eſt ex D. Thoma *quæſt.* 171. *art.* 1. *ad tertium*, in raptu duo reperiri. Alterum eſt, quòd intentio mentis elevetur ad percipienda divina, Alterum eſt, quòd percipiat ipſa divina, hæc autem elevatio, ut idem D. Thomas *qu.* 172. *art.* 4. probat, requiritur quòd ſit maxima divinorū contemplatio, maxima verò potentiæ elevatio ad percipienda divina in duobus conſiſtit. Primò in averſione à ſenſibus. Hi enim diſtrahunt, atq; impediunt quietam ac vehementem contemplationem. Secundò in vehementi actuatione, ſive attentione ad objectum à DEO revelatum, ex qua quidem applicatione, ſive actuatione procedit, ut homo à ſenſibus elevetur, ut Auctor eſt D. Thomas de *veritate quæſt.* 13. *art.* 1. *in corpore.* Nam in raptu potiſſimum quod DEUS operatur, eſt potentiam elevare, ac eam circa divinorum cognitionem ita actuare, ut ad eam per naturalem ſequelam conſequatur à ſenſibus averſio, ſive abſtractio, neque enim multiplicanda ſunt abſque neceſſitate miracula, quare non oportet aliam virtutem excogitare, ut anima à ſenſibus abſtrahatur; nam cùm virtus animæ ſit finita, ut ſupra diximus, parte ſuperiori animæ vehementer circa aliquod objectum applicata, ad inferiores vires animæ intentio derivari nequit.

*Elevatio intellectus ad percipienda divina in quo conſiſtat.*

Hanc ſententiam expreſſè docet D. Thomas *de veritate quæſt.* 12. *art.* 9. *in corpore*, & 2. 2. *q.* 173. *art.* 3. ubi docet alienationem à ſenſibus in Prophetarum raptibus provenire, vel per aliquam cauſam naturalem, ſicut per ſomnium, vel animalem, nempe ex nimia attentione ad intellectuabilia, vel imaginabilia, & *in ſolutione ad ſecundum* docet in Prophetis, *propter vehementiam intenſionis ſequi alienationem à ſenſibus*; quod quidem apertè provenit ex finita animæ virtute, quæ in una parte vehementer intenſa, in aliis neceſſariò debet eſſe remiſſa, ut idem Angelicus Doctor ex mente Divi Auguſtini agens de raptu Divi Pauli docuit *ſecunda ſecundæ, quæſtione* 175. *articulo* 3. Et latius *de veritate, quæſtione* 13. *articulo* 3. *in corpore.*

Oportet autem naturalem aſſignare cauſam, ex qua in raptu ſequatur à ſenſibus alienatio. D. Auguſtinus *libro duodecimo in Geneſim capite decimo nono.* ex alienatione in ſomno contingente infert eam, quæ in raptu ſolet evenire, his verbis: *Ita & ipſi animæ contingere ſolet, ut ea videat, quæ non per ſenſus corporis ei nuntiantur: ſed per incorporalem ſubſtantiam, & ita pergat, ut non diſcernat, utrum corpora ſint, an ſimilitudines corporum; quod aliquando à corpore, aliquando à ſpiritu procedit; à corpore quidem naturali viciſſitudine, ut ſunt viſa ſomniantium; dormire quippe à corpore eſt homini: à ſpiritu verò, cum omnino ſano, atque integro corpore in alienationem rapiuntur, ita ut penitus avertantur à ſenſibus corporis, nil per eos omnino ſentientes.* Et infrà *capite* 20. proſequitur dicens: *Sed cùm à corpore cauſa eſt, ut talia viſa cernantur, non ea corpus exhibet, neque enim habet eam vim, ut formet aliquid ſpirituale, ſed ſopito, aut perturbato, aut etiam intercluſo itinere intentionis à cerebro, qua dirigitur ſentiendi motus.* Et infrà: *Dormientibus quippe in cerebro conſpicitur via ſentiendi, quæ intentionem ad oculos ducit, ideoque ipſa intentio in aliud averſa, cernit viſa ſomniorum tamquam ſpecies corporales adſint, ut ſibi dormiens vigilare videatur, & non ſimilia corporibus, ſed ipſa corpora ſe intueri putent.* Itaq; Auguſt. alienationem à ſenſibus in raptu ſive ecſtaſi contingentem provenire docet, quòd conſopitis viis, per quas intentio animæ derivatur ad ſenſus exteriores, per quam intentionem ſentiendi vis eis communicatur, eo ipſo vim ſentiendi amittant, nec poſſunt percipere eo tempore ſua objecta.

*Cauſa, quare in raptu ſequi ſoleat à ſenſibus alienatio, exponitur.*

Auguſtinus verò non explicat modum, aut cauſam quare iſtæ viæ intercludantur, aut conſopiantur, quæ ut clarius intelligantur,

Notandum duxi, quòd cùm anima det eſſe eſſentiale compoſito, & ab ea tota ejus virtus emanet, & fluat, ſenſus etiam omnes potiori ratione ab ea pendent in operando; nam poſt receptionem ſpecierum emiſſarum ab objectis, neceſſaria eſt aliqua virtus & activitas ab ipſa derivata, ut ſenſus ſeu potentiæ materiales valeant ſenſationes elicere, quia cùm anima ſit eminenter ſenſitiva, illiusque functiones exerceat in compoſito, quidquid anima ſenſitiva præſtaret, neceſſe eſt, quòd rationalis præſtet; & quemadmodum intelligentia medio cœlorum motu cauſat influxum cœleſtem in propinquiora elementa, ut inde ad cunctas operationes inferiorum deſcendat, ac derivatur; eodem ferè modo anima rationalis per applicationem ſuæ virtutis, neceſſe eſt, quòd communicet ſuam virtutem, & influxum potentiis ſuperioribus, qui inde ad inferiores derivatur, & earum operationibus deſervit. Hæc autem virtus, ſive influxus animæ alio nomine dicitur *animæ intentio.*

Unde fit in his, qui raptum, aut ecſtaſim patiuntur, qui (cùm animæ virtus ſive intentio ſit limitata, & tota ad aliquam operationem potentiæ ſuperioris ſit omnino applicata) nil ſenſibus percipiunt, quàmvis ipſis ſint applicata ſenſibilia, ex eo ſolùm quod præcipuis, & excellentibus operibus occupata anima nequeat minoribus providere.

Virtus autem ad hujuſmodi ſenſationes requiſita præter ipſius animæ attentionem, & applicationem, nihil eſt aliud, quàm ſpiritus quidam animales, qui è cerebro ad omnia inſtrumenta ſenſuum derivantur per quaſdam vias & meatus, ipſaque inſtrumenta aptant, & diſponunt, atque ad ipſorum operationes immediatè deſerviunt,

in

in quantum aptant inſtrumenta ſenſuum, ut commodè percipiant, ac retineant ſpecies ſenſibiles, quas intelligens ſpeculatur. Hi autem ſpiritus animales fiunt, & producuntur in cerebro ex ſpiritibus vitalibus ſubtilioribus aſcendentibus ad caput, qui etiamſi calidiſſimi ſint, ad ipſius cerebri frigiditatem aliquantulum reparantur, & agitantur, ac ibi rarefacti fiant ſubtiliores, & ad perfectiſſimas operationes aptiores, quibus deficientibus, omnis ſenſitiva operatio deficit. Unde cùm in raptu clauſæ ſunt viæ, ſive meatus, ex eo quòd intentio animi alibi ſit applicata, quæ per iſta itinera, & vias ad ſenſus ſolet derivari, conſequens eſt, ut neque etiam ſpiritus animales conſopitis his itineribus poſſint deſcendere ad vivificandos ſenſus externos. Intentio enim animæ, ut bene notavit Auguſtinus, eſt, per quam dirigitur ſentiendi motus, id eſt, ſpiritus animales derivati à cerebro ad ſenſus.

*Raptus divinus in quo conſiſtat.*

Unde raptus divinus eſt ille mentis exceſſus, quo homo per violentiam quamdam à ſenſibus avellitur, & ad divinorum inſpectionem, & amorem elevatur. Hæc autem violentia, qua anima à ſuis ſenſibus corporis alienatur, & quaſi à corpore ſejungitur, plena eſt timoris, atque formidinis, quare opus eſt magna animi fortitudine: nam ut Divus Thomas *prima ſecunda quæſtione 61. articulo 5.* ex Macrobio docet fortitudinis purgatoriæ eſt, *ut anima non terreatur propter exceſſum à corpore, & acceſſum ad ſuperna*; nec animo parum terroris infert, cùm in ſe exiſtens, neſciens quomodo, aut qua ratione à ſuis ſenſibus abſciſſus, in quandam regionem peregrinam, ſibique penitus incognitam trahatur. In hoc autem poſita eſt eſſentia raptus, quòd anima contra modum ſuæ naturæ innatum, ut per converſionem ad ſenſibilia, in rerum cognitionem feratur, & à ſenſibus alienata celeriter ad ſuperiora ſuſtollatur; nam quamvis illa gratia ornata propenſionem habeat, ut DEUM agnoſcat, & diligat: ille tamen modus tendendi in DEUM ſine adjutorio ſenſuum, & cum tanta ſpiritus vehementia eſt illi prorſus novus, & à puſillitate naturalis conditionis omnino alienus; non aliter ac ſi homo, qui gradatim cœpiſſet in altiſſimam turrim conſcendere repente per aera raperetur, ac multo majori celeritate, quàm ſi volaret in ſummitate turris poneretur; ſic anima timore concutitur, cum abſque ſuo conſenſu, tamque præter naturam ſuam à ſenſibus abſtracta, regionem illam lucis & divini amoris, quam antea neſciebat, tam mirabiliter ingreditur, quamvis poſtea accedentibus uſu, & exercitatione ſimilium raptuum ceſſent timor & admiratio.

*Subjectum raptus quod ſit.*

Subjectum raptus, ut diximus in *primo capite*, eſt vis cognoſcitiva, ſcilicet intellectus, & imaginatio; his enim potentiis quibus connaturale eſt per ſenſibilia ad intelligibilium cognitionem duci, violentia infertur, cum ſopitis ſenſibus, ac ſine ullo eorum uſu anima ad divinorum contemplationem elevatur.

*Quis finis.*

Finis verò ut intellectus aptior fiat ad capienda divina, ſive ad percipienda ea, ad quæ animus in vigilia facile non poteſt pervenire, quare raptus divinus frequenter contingit propter neceſſitatem, aut infirmitatem, ut ſic intellectus divinitùs confortatus percipiat aliquod magnum intelligibile, quod non poſſet intelligere, niſi anima à ſenſibus avulſa, tota ſe converteret ad illud. Unde, ut eruditè notavit Abulenſis 3. *Regum capite primo.* In raptu ſive ecſtaſi concurrunt duo. Primum, quòd ſit revelatio alicujus magni, & excellentis intelligibilis. Secundum, Ceſſatio omnium operationum ſenſitivarum.

*In raptu ſive ecſtaſi duo concurrere ſolent.*

Raptus ergo efficiens, & finalis cauſa eſt ipſe DEUS; quare in raptu à DEO animus elevatus tantùm in DEUM erigitur, quantum divino colluſtratus lumine eum cognoſcit, ac tantum efferveſcit, & exilit in ſuperiora, quantum calore divino ſuccenſus in DEUM ſuſtollitur, nec poteſt quis ad id, quod eſt ſuperius, & infinitum ullo modo elevari, niſi virtute ſuperioris & infiniti agentis attrahatur, & elevetur. Abulenſis in *Geneſim quæſtione* 400. finalem cauſam ecſtaſis explicat in hunc modum. *Ad hoc ſolum fit ecſtaſis, ut intellectus ad plura intelligenda perveniat, quàm ſufficeret intelligere in vigilia. Et hoc eſt, propter quod rapi dicimus hujuſmodi, ſcilicet quaſi anima totaliter extra corpus fiat, ad hoc, quòd non impedita per immixtionem ad corpus recipiat altiſſima intelligibilia, quæ non ſufficit conſiderare diſperſa exiſtens, ſufficit tamen unita, ſed unitas per hoc, quod abſtrahitur rapta ad aliud.* Quare ecſtaſis, vel raptus eo fit, ut anima quæ diſperſa exiſtens in multas operationes, non ſufficit ad aliquod intelligibile altiſſimum, ſufficiat quando unita fuerit ad accipiendum illud.

Et *infra quæſtione* 401. proſequitur idem Abulenſis, *DEUS autem facit iſtam ligationem, ſcilicet, ut ligatis naturalibus, & animalibus viribus, ſolutus maneat intellectus, & tunc eſt ecſtaſis, & eſt intellectus multum elevatus ad intelligendum, eò quòd totus vigor animæ collectus eſt ad ſolam intellectionem, & licet talis ligatio non conveniat ſecundùm naturam, ſcilicet ad conſervandum eſſe animalis, convenit tamen ad aliquid, quod eſt ſupra naturam, ſcilicet ad cognoſcenda aliqua, quorum cognitionem DEUS judicat eſſe neceſſariam ad bonam habitudinem ſtatus ſpiritualis: & ideo natura non facit talem ligationem, tanquam non ſibi neceſſariam; DEUS autem illam facit, tanquam neceſſariam ad ea, quæ ipſe intendit. Et iſtam ligationem vocat raptum, vel ecſtaſim ſecundùm Græcos, & non eam quæ fit in ſomno.*

*Raptus divini deſcriptio.*

Ex dictis colligamus raptus divini definitionem ſeu deſcriptionem: Raptus eſt actuatio ſupernaturalis, & vehemens alicujus potentiæ cognoſcitivæ ſive ſuperioris, ſive inferioris, circa aliquod divinum objectum, ad cujus actuationem, ſive vehementem applicationem ſequitur à ſenſibus abſtractio, & ad divinorum inſpectionem, amoremque elevatio.

*Legend. P. Joan. à JESU MARIA cap. 6. Theol. myſtic. qui hanc tradit raptus divini definitionem: Raptus eſt elevatio per ſpiritum divinum ad aliqua ſupernaturalia.*

Dixi in definitione *ſupernaturalis*, ut raptum à naturali cauſa, nempe vel à nimia actuatione imaginationis, vel ab aliis cauſis, nempe ab infirmitate, vel à dæmone provenientem, excluderem. Præterea addidi *actuatio, ſeu vehemens applicatio alicujus potentiæ cognoſcitivæ, ſive ſuperioris, ſive inferioris*, quia ex vehementi applicatione talis potentiæ, ſive ſit imaginationis, ut in D. Petro, qui ex viſione illorum animalium, quæ in linteo viderat, extra ſenſus fuit raptus, (ut *Actorum decimo* legitur) ſive intellectus, ut fuit raptus Divi Pauli, aut voluntatis raptus contingat; hoc enim naturale eſt animæ noſtræ potentiis; ut quando una nimis circa objectum ſuum intenditur, altera debilitetur, vel omnino à ſuis operationibus ſuſpendatur, quod ex



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*cum abſtractione à ſenſibus; quã luculenter exponit, cum variis ejus cauſis, ſubjecto, & ſpeciebus.*

eo provenire dignoſcitur, quod animæ noſtræ virtus ſit maximè limitata, & finita. Quare cum ejus virtus nimis intenditur, ac vehementer applicatur circa cognitionem & amorem objecti alicujus, neceſſariò fit, ut ab aliorum objectorum apprehenſione abſtrahatur; ac proinde vel omnino ceſſet ab operatione circa alia, vel ſaltem debilitetur. Unde provenire ſolet, quòd in raptu homo à ſenſibus exterioribus, vel omnino alienetur, vel ſaltem magna ex parte abſtrahatur.

## CAPVT VI.

### *An à DEO violentia in Raptu animæ inferatur; ita ut non poſſit raptui reſiſtere.*

EXaminare oportet, an violentia, quæ dicitur fieri à DEO, vi cognoſcitivæ, abſtrahendo eam à naturali modo cognoſcendi, verè poſſit dici violentia, & an in poteſtate noſtra ſit hujuſmodi violentiæ reſiſtere, hoc enim apud Doctores dubitatione non caret. Nam Cajetanus & alii Auctores cenſent nullam creaturam poſſe pati à DEO vim aliquam, ſed abſque ulla violentia omnia creata DEO obedire tenentur, quæ quidem ſententia ſic probari poteſt. DEUS, qui auctor naturæ eſt, nihil contra naturam facit, quia hoc eſt unicuique naturale quod ab eo accipit, à quo eſt modus omnis, & ordo naturæ; ſed elevatio in raptu fit à DEO, qui eſt Conditor naturæ humanæ: ergo non eſt contra naturam, ſed potius ſecundùm naturam.

*Duplex datur entis creati operatio naturalis.*

Hæc tamen ſententia apertè eſt contra Divum Thomam *art. 1. hujus quæſt.* & *de veritate quæſt. 13. art. 1.* ubi docet, duplicem eſſe alicujus rei operationem naturalem. Alteram in quantum eſt hæc res, ut ignis, aut lapis, hoc eſt, quantum ad naturam particularem: Alteram verò ſecundùm naturam univerſalem, ex quo infert, quòd, quamvis iſta violentia ſit naturalis ſecundùm naturam univerſalem rerum, quæ expoſcit, ut inferiora à ſuis ſuperioribus moveantur, non tamen eſt naturalis ſecundùm naturam particularem hominis, quæ eſt intelligere mediante imaginatione, & ſenſu, quod hac ratione in *ſolutione ad ſecundum* probat *dicta quæſtione de veritate*, quia ordo univerſalis cauſarum hoc habet, ut inferiora à ſuis ſuperioribus moveantur; ſed omnis modus qui fit in inferiori natura, ex impreſſione ſuperioris, ſive in corporalibus, ſive in ſpiritualibus, eſt quidem naturalis ſecundùm naturam univerſalem, non autem ſecundùm naturam particularem, niſi quando à ſuperiori ſic imprimitur, ut ipſa impreſſio ſit ejus natura. Igitur ea, quæ à DEO in creaturis fiunt, poſſunt etiam dici violenta, ſi contra naturam particularem fiant, ut in raptu. Hoc confirmatur, quia homo contra DEUM trahentem ipſum aliquando renititur, ita Loth Angelo, à quo extrahebatur de Sodomis, etiam reſiſtebat; aut ſicut unus homo alteri ipſum trahenti etiam reſiſtere poteſt. Jacob enim cùm luctaretur cum Angelo ab eo detinebatur. Quare igitur non poſſet idem cum ipſo DEO facere, ſi contra ipſum luctaretur.

*Geneſ. 19. 6.*

Majus quidem dubium eſt, an violentiæ à DEO illatæ poſſit in raptu divina patiens, quiſquis ille eſt, reſiſtere. Cajetan. *prima parte, quæſt. 17. art. 7.* docet poſſe aliquem raptui reſiſtere, ſi diutius ad oppoſitos mentis actus ſe toto conatu transferat; nam tunc ab hujuſmodi accidentibus deſeruntur, ut experientia, inquit, fide digna didici.

*Duplex datur raptus genus; aliud corporis, aliud mentis.*

Pro hujus difficultatis ſolutione, ſuppono ex Scriptura, duplex eſſe genus raptus, aliud corporis, aliud mentis; de raptu corporis habetur Danielis 14. ubi refertur quomodo Angelus apprehenderit Habacuc Prophetam, & portaverit eum in capillo capitis ſui, poſueritque eum in Babylone ſupra lacum. Et Geneſis 5. dicitur, Enoch ambulavit cum DEO & non apparuit, quia tulit eum DEUS. Et 4. *Regum* 2. de noſtro Patre S. ELIA: *& aſcendit ELIAS per turbinem in cœlum.* Et *Act.* 8. *Spiritus Domini rapuit Philippum.*

*Vid. ſupra citat. Bibliotb. Theol. cap. 4. ſub initium.*

De raptu mentis *Ezechiel.* 8. capite, *elevavit me ſpiritus inter terram, & cœlum, & adduxit me in Jeruſalem in viſione DEI*; atque *Ezechielis* 40. *Facta eſt ſuper me manus Domini, & adduxit me illuc, in viſionibus DEI. adduxit me in terram Iſrael.* Itemque illud Apocalypſis 1. *Fui in ſpiritu in Dominica die.* Hi autem raptus in hoc conveniunt, quòd ſicut ille tollit hominem à loco in quo erat, & alio transfert; ita & hic tollit animam, non quidem à corpore, quod informat, ſed ab operatione ſenſuum, & ad cœleſtia capeſcenda erigit. Conveniunt præterea, quòd ſicut raptui corporis, ita neque raptui mentis, quo ſpiritus Prophetarum vel aliorum divinitùs ſuſtolluntur, nequit quis reſiſtere.

*Raptus mentis dividitur in fortuitum & voluntarium.*

Raptus deinde mentis dividi etiam poteſt in raptum fortuitum, qualis fuit Divi Pauli, cùm raptus fuit in tertium cœlum: & in raptum voluntarium. Raptum *fortuitum* vocamus, cum anima ipſa neſciente, neque cogitante, à DEO derepente celerrimeque rapitur, ut audiat, vel videat divina ſpectacula; ſimiles fuêre Prophetarum, ac aliorum plurium Sanctorum raptus; quia cùm hi ex divina præordinatione contingant, quis divinæ voluntati reſiſtere poterit. Maximè ſi tanta ſit divinæ inſpirationis, ſive illuſtrationis vis, ut non ſolùm animam extra ſe agat; ſed & corpus ipſum à terra in aerem ſuſtollat.

*Fortuitus quis ſit.*

Tales fuerunt frequentiſſimi raptus SS. V. TERESIÆ matris noſtræ, de qua, ut ex informationibus Canonizationis ejus conſtat, non modo extra ſe frequenter rapiebatur, verum etiam multoties tanta erat ſpiritus divini vis, & vehementia, ut in his raptibus corpus ſimul cum ſpiritu, videntibus ei aſſiſtentibus elevaretur. Non diſſimiles, nec minus frequentes fuêre ecſtaſes & raptus, quos patiebatur B. P. *Joannes à Cruce*, *S. Tereſiæ* in reſtaurando Carmelo ſtrenuus ac fideliſſimus Coadjutor, ut tradunt admirandæ vitæ ejus Hiſtoriographi, quibus etiam corporis claritas & ſplendor, & flammarum radii non raro accedebant. Tanta enim ſolet eſſe ſpiritus divini virtus, ardorque divini amoris, ut non ſolùm ſpiritum in DEUM transferat; ſed & corpus natura ſua grave & ponderoſum ſpiritus conditiones, ac corporis glorioſi dotes, nempe ſubtilitatem atque agilitatem induêre faciat. Tales ſimiliter fuerunt aliorum inſignium Sanctorum raptus, de quibus plenius infra diſſeremus.

*Quis voluntarius.*

Alius eſt *voluntarius* raptus, qui, ut ſuperius annotavimus, ex propria intentione, & ex vehementi contemplatione contingere ſolet; talis quidem fuit D. Petri *Act.* 10. qui cùm oraret, ex vehementi contemplatione, ut docet D. Thom. 2. 2. *q.* 173. *art.* 3. divinitùs fuit raptus. Et in raptu hoc voluntario poteſt quis abſque magna difficulta-

te,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

re, impetui ſpiritus reſiſtere, & hoc eſt quod docuit Cajetan. ut ex ipſius verbis, ſi attentè legantur, aperte colligitur.

Idem etiam quod de raptu, ſentio in Ecſtaſi contingere; nam cùm in hac paulatim anima divini amoris impetu excitata extra ſe agatur, in principio ſi avertat cogitationem ab objecto, & mens conſulto alio avocetur, reſiſtentia non erit difficilis. Si verò Ecſtaſis repentè eveniat, ferè impoſſibile videtur, ut quis poſſit ei reſiſtere, ut optimè annotavit Carthuſianus *de laude vitæ ſolitariæ* art. 36. *Mens*, inquit, *nonnumquam abſque ſuo conatu improviſe repentè ad contemplationem hanc, & myſticæ Theologiæ intuitum, raptum, & ecſtaſim elevatur, pietate DEI immenſa, per prævenientem perſtringentemque gratiam, miſericordiſſimè eam præveniente; ipſumque apicem affectivæ, & verticem intellectivæ potentiæ immediatè tangente, illuminante, & inflammante tam validè, ut imbecillis creatura confeſtim, & quaſi inſtantaneè defluat, & deficiat à ſeipſa, & ſuper ſe mirabiliter ac gratioſiſſimè transferatur in tantum, ut non queat (quamvis velit) reniti; ut puta libertate arbitrij jam quaſi ad horam ſuſpenſa, atque ſopita.*

S. Bernardus quoque *ſermone 2. de Aſcenſ. Domini*, ſequentibus verbis exponit, qui poſſint divinæ inſpirationi ſpiritum tangente reſiſtere. *Alij*, inquit, *trahuntur, qui poſſunt dicere, Trahe me poſt te. Alii ducuntur, qui dicunt: Introduxit me Rex in cellaria ſua. Alij rapiuntur, ſicut Apoſtolus raptus eſt ad tertium cœlum. Et primi quidem felices, ſecundi feliciores, tertij feliciſſimi, qui in profundiſſima DEI miſericordia, quaſi quodammodo ſepulta, jam arbitrij ſui poteſtate, in divitiis gloriæ in ſpiritu ardoris rapiuntur*. Hæc Bernardus.

Qui trahuntur, & ducuntur, reniti quidem poſſunt; qui verò rapiuntur, in poteſtate eorum non eſt, ut poſſint DEO rapienti reſiſtere.

Neque obſtat argumentum in contrarium adductum; nam, ut conſtat, ex dictis, violentia in raptu animæ illata, eſt quidem contra naturam hominis in quantum homo eſt, licet ſit conformis naturæ univerſali, ſecundùm quam omnis creatura tenetur DEO obedire; ita reſpondet D. Thom *dicta quæſt. 13. de veritate.*

*Objectio.* Dices, cùm in raptu intellectus etiam à ſenſibus abſtractus verè cognoſcat res ipſas per proprias & veras ſpecies in phantaſmatibus repræſentatas, & tunc intellectus ſit perfectior, & cognoſcat eminentiori modo, utpote à DEO elevatus ad divina percipienda, quare igitur tunc dicetur violentari, neque habere liberum judicium, eò quòd abſtrahatur à ſenſibus.

*Solvitur.* Reſpondetur, quòd in homine alienato à ſenſibus perfectior eſt vis cognoſcitiva, quantum ad acceptionem, ſive ſpeculationem intelligibilium, non verò quantum ad judicium, ut egregiè docuit D. Thom. 2. 2 *q. 173. art. 3.* & *de veritate qu. 13. art. 3.* & alibi ſæpè. Et ratio hujus eſt, quia tunc homo rerum ſpecies quas inſpicit, judicat eſſe ipſas res, & ſic fallitur intellectus quantum ad judicium, quia ſimilitudines rerum judicat, & accipit pro ipſis rebus; ut docuit Auguſt. *lib. 12. ſuper Geneſ. ad litteram, cap. 14. aliiſque ejuſd. lib.* Quia ſive converſione ad ſenſus exteriores, qui ſunt prima principia cognoſcendi, rectè non poteſt judicare de ipſis rebus, quia non poteſt rerum ſpecies, ab ipſis rebus diſcernere, ac ex conſequenti, tunc cogitur intellectus, ut ferat falſum judicium de rebus, quia non poteſt converti ad ſenſus, & hæc eſt propriè violentia, quam intellectus patitur in raptu.

## CAPVT VII.

### *Sitne de eſſentia divini raptûs à ſenſibus externis abſtractio.*

HActenus explicuimus divini raptus naturam, nunc reſtat videndum, an à ſenſibus abſtractio ſit de intrinſeca ratione divini raptus, ita ut nulla ratione contingere poſſit verus divinusque raptus, niſi ad eum alienatio, & averſio à ſenſibus conſequatur. Et quia hæc dubitatio oriri poteſt tam de abſtractione à ſenſibus externis, quàm internis, prius de abſtractione à ſenſibus externis diſſeremus.

Prima Aſſertio: In raptu regulariter reperitur abſtractio à ſenſibus externis, ita ut non ſolùm non operentur, verum etiam ita ſint impediti, ut neque operari poſſint, neque per externa objecta, quantumvis vehementia valeant excitari. Hæc ſententia primò probatur ex Divo Auguſtino *lib. 12. ſuper Geneſ. ad litteram cap. 12.* ubi ita *In raptu plerumque adeſt abſtractio à ſenſibus externis.* ſcribit: *Quando autem penitus avertitur, atque abripitur animi intentio à corporis ſenſibus, tunc magis ecſtaſis dici ſolet.* Ex mente igitur Auguſtini vera ecſtaſis non datur, niſi contingat cum abſtractione à ſenſibus externis, & de hac intelligi poteſt, quod D. Dionyſius *cap. 4. de divinis nominib.* aſſeruit, inquiens: *Eſt autem ecſtaſim faciens divinus amor.* Ea quidem ratione, quia divinus amor abſtrahit, & ſeparat animam à ſenſibilibus. Eſtque communis ſententia Patrum. Eam probat Divus Thomas *art. 1, hujus quæſt.* ut plenius ſuperius declaravimus; hanc abſtractionem intellectus à modo connaturali cognoſcendi, verè dici raptum, manifeſta quoque experientia conſtat.

Ratione præterea probatur, quia operationes ſenſuum externorum neceſſariæ non ſunt, imò impediunt ſublimiorem divinorum contemplationem, quia cùm vis animæ noſtræ ſit limitata, & facilè per ſenſus diſtrahatur, oportuit claudi exterius ſenſuum feneſtras, ut interius anima ad DEUM elevetur; ad quod multum juvat illa ſuſpenſio externorum ſenſuum. De hoc genere ecſtaſis locutus eſt D. Bonaventura *Tom. 2. Tract. de 7. gradibus contemplationis*, dicens: *Ecſtaſis eſt deſerto exteriore homine ſuiipſius ſupra ſe voluptuoſa quædam elevatio ad ſuperintellectualem divini amoris fontem.* Hæc autem doctrina confirmari poterit teſtimoniis quamplurium Patrum.

De hoc raptu Richardus *cap. 16. lib. 4. de contemplat.* qui eum ebrietatem appellat, inquiens: *Ecce chariſſimi inebriantur. Ebrietas autem mentis alienationem efficit, & ſuperna quidem revelationis infuſio, eos dumtaxat, qui chariſſimi ſunt, in mentis exceſſum adducit*, ſecundùm illud, *inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.*

Bernardus quoque *ſermone 85. in Cantica*; *Sed attende*, inquit, *in ſpirituali matrimonio duo eſſe genera patiendi.* Et infra: *In hoc ultimo genere interdum exceditur, & ſeceditur, etiam à corporeis ſenſibus, ut ſe ſe non ſentiat, quæ verbum ſentit.*

Accedit Vercellenſis, qui in illa verba Cant. 1, *Amore langueo*, ſic diſſerit: *Languor iſte uſque ad mortem ducit, mors autem eſt plena ſeparatio vitalis ſpiritus à corpore, & ſignificat plenam ſeparationem vitalis affectus per exceſſum mentis, & commodam tranſitionem ad DEUM.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Expreſſius tradit hoc ipſum ſupra laudatus Richard. à S. Victore *cap. 4. de inſeparab. amor.* his verbis: *Neque etiam neceſſe eſt, ut in his exceſſibus, quibus humani ſpiritus lutoſis ſenſibus divino munere avelluntur, extrà ſe eſſe dicamus, cùm Paulus in ſuo raptu, an in corpore, an extra corpus fuerit ſe dicat prorſus ignorare. Ubi ergo ſunt inquit? in eo quòd interius eſt ſui, profundum eſt cor hominis, & inſcrutabile; homo enim ita ſecretius eſt ſibi, quòd ſolus ſuipſius noſcat quod interius, non ergo educuntur, ſed inducuntur ſpiritus in illo interiori cœnaculo, quod quæ & illuc clauſis ſeorſum ſenſuum oſtiis ſecurius, ſecretiusque caſtiſſimo amplexu conveniant cum dilecto, & ibi melius ſecum ſunt, & cùm ſic ibi ſunt ſimul, tutius ſe habent.* Paſſimque apud Patres fit mentio de hac ecſtaſi, qua ſenſibus externis conſopitis, anima ad ſuperna elevatur.

*Abſtractio à ſenſibus in raptu reperta regulariter conſequitur ad mentis elevationem.*

Aſſertio ſecunda: Hæc abſtractio à ſenſibus, quæ in raptu contingere ſolet, quaſi connaturaliter conſequitur ad mentis elevationem, ſive vehementem actuationem circa divina, quia quàmvis à divina inſpiratione raptus divinus proveniat, ſuppoſita verò hac vehementi intellectus actuatione, alienatio à ſenſibus neceſſariò conſequitur, imò in raptibus, qui contingunt ex vi naturalis contemplationis, etiamſi fiant per ſolam ſpeculationem ſine ullo affectu, ut ſuperius probavimus multorum Philoſophorum exemplo. Hæc concluſio confirmatur à D. Thoma *2. 2. qu. 175. art. 2.* Ubi hanc vim ecſtaſim faciendi, hoc eſt à ſenſibus alienationem, clarè attribuit vehementiæ affectus: & in *ſolutione ad 2.* docet vehementiam affectuum cauſare ecſtaſim ſive raptum, qua enim cauſat exceſſum cognoſcitivæ virtutis, quo mens ad intelligibilia vehementer rapitur alienata à ſenſibus. Ubi etiam hoc annotavit Cajetan. cujus ea eſt præcipua ratio, quia cùm virtus animæ ſit finita, abſorpta vehementer in ſuperioribus, atque internis actionibus, non poteſt ſimul ad externas derivari.

*Duplex à S. Thom. aſſignatur à ſenſibus abſtractio, totalis, ſive perfecta, atque imperfecta.*

Hæc verò à ſenſibus abſtractio, ut notat D. Thom. 2. 2. *q. 173. art. 3.* aliquando ſolet eſſe omnimoda & totalis, ita ut eo tempore ſenſus ſic ſint ligati & abſorpti, ut nulla ratione ſua objecta percipere poſſint; aliquando verò hæc abſtractio eſt imperfecta, ita ut licet ſenſus non omnino ſopiantur, vix ſenſibilia percipere poſſint, quia ſunt nimis debilitati in propriis operationibus.

*Duplicem idem S. Doct. aſſignat hujus abſtractionis cauſam.*

Hæc autem abſtractio à ſenſibilibus duplici ex cauſa naturali, ut egregiè docuit idem D. Thomas *ibidem eod. art.* provenire poteſt; vel à cauſa naturali ordinata, ſcilicet ſomno, & ſic multi Prophetæ in ſomnis tranquilla mente, & ſine externorum ſenſuum ſtrepitu ad divinas viſiones percipiendas elevabantur; vel à cauſa animali, ex nimia ſcilicet attentione ad imaginabilia, aut intelligibilia, ex qua quidem cauſari ſolet iſta à ſenſibus alienatio; ex vehementi enim actuatione potentiæ ſuperioris inferiorum actus, vel debilitantur, vel omnino à ſuis operationibus impediuntur.

## CAPVT VIII.

### *Poſſitne contingere divinus raptus ſine abſtractione ab internis ſenſibus.*

*In quo præciſſimum conſiſtat hujus quæſtion. difficultas.*

Difficultas præcipua eſt de ſenſu imaginationis, an inquam divinus raptus fieri aliquando queat, ſine eo, quòd intellectus utatur imaginatione, ſive quòd aliis verbis dici ſolet, convertatur ad phantaſmata. Qua in re non minima difficultas in eo conſiſtit, quia anima noſtra corpori conjuncta neceſſariò debet phantaſmata ſpeculari, Ita tradit Ariſtot. *lib. 2. de anima cap. 7.* quia eſt naturalis dependentia inter intellectum corpori conjunctum, & phantaſiam, quod experientia ipſa comprobatur, Nam phantaſia læſa, aut ſomno, aliove impedimento ligata, intellectus non poteſt ſuis actionibus rectè, ac ritè fungi, quare naturaliter fieri non poteſt, ut intellectus intelligat, niſi per converſionem ad phantaſmata, imò neque ſupernaturaliter id contingere ſolet, etiam in raptu ad viſionem intellectualem; ac propterea ipſe D. Thomas *prima parte quæſt 94. art. 2.* etiam docuit, quòd primus homo in ſtatu innocentiæ eundem naturalem intelligendi modum habuit, quẽ ita eſſe ſtatui hujus vitæ annexam, & connaturalem docuit 2. 2. *quæſt. 174. art. 2. ad 4.* ut etiam in viſionibus intellectualibus, & ſupernaturalibus, quæ ex divina illuſtratione Prophetis contingere ſolent, inveniatur, fundarique ſolet in illo D. Dionyſii axiomate *cap. 1. de cœleſti Hierarchia* aſſerente, *Impoſſibile eſt lucere nobis divinum radium, niſi varietate ſacrorum velaminum circumvelatum.* Et probatur ratione: quia licet gratia elevet naturam ad operationes ſupernaturales, tamen ſecundùm legem ordinariam ſervat modum operandi conſentaneum naturæ quoad fieri poteſt, & ita non elevat intellectum ad operationem ſupernaturalem; niſi movendo etiam phantaſiam ut ſpecies ſubminiſtret, prout poteſt.

*Poteſt dari raptus, in quo anima DEũ contempletur, abſque ulla cooperatione ſenſus interni.*

Aſſertio prima: Nulla eſt implicatio elevari hominis mentem in raptu, ita ut DEUM contempletur ſine ullius ſenſus, etiam interni, cooperatione. Hæc ſententia communis eſt inter Theologos; eamque tenet Abulenſis *quæſt. 402. in Geneſ.* quæ ratione confirmari poteſt; quia hæc neceſſitas cooperationis phantaſiæ, dum intellectus noſter operatur, non eſt adeo eſſentialis, vel intrinſeca, ut repugnet eam divina virtute impediri, & confortari intellectum hominis ad operandum ſine hac dependentia; maximè cùm operatio phantaſiæ ſit realiter diſtincta ab operatione intellectus, neque per ſe eſt cauſa illius; ſed ad ſummum ſolet eſſe occaſio, vel excitatio quædam ex parte objecti, & non raro eſt veluti effectus intellectionis: nam poſtquam intellectus eſt jam informatus ſpecie abſtracta à phantaſmatibus, & illa utitur, ſecum rapit imaginationem ad cooperandum, neque alius modus dependentiæ invenitur inter has potentias; ſed potius ſympathia quædam naturalis harum potentiarum, quam DEUS facilè poteſt impedire.

*Licet juxta legem ordinariã hoc non contingat, puriſſimis*

Aſſertio ſecunda: Quamvis ſi ſecundùm communem ordinem naturæ loquamur, intellectus noſter ſine phantaſiæ, ſeu imaginationis cooperatione intelligere non valeat propter dependentiam, quam intellectus pro hoc ſtatu habet ab imaginatione, tamen ſi ſermo ſit de nonnullis puriſſimis animabus, quæ aliquando divina digna-

*tamen à-nimabus hoc non-numquam concedi-tur.*

tione, à DEO optimo maximo ad ſupernaturalem & planè Angelicam contemplationem rapiuntur, tunc non eſt dubium eas ita à ſenſibus abſtrahi, ut omnes corporearum ſimilitudinum imagines, umbraſque tranſcendant, ac proindè ſine ulla phantaſmatum adumbratione, vel ſaltem imperceptibili, purè, & nudè divina intueantur. Pro hac ſententia validiſſima ſunt Patrum teſtimonia. In primis D. Auguſt. *lib. 12. ſuper Geneſim ad litteram*, eam expreſſè tenet; nam cùm in eo libro tria viſionum genera diſtinguat, nempe *corporalem, ſpiritualem*, & *intellectualem*, per comparationem ad tres cœlos; ita ut *viſioni corporali* primum cœlum reſpondeat: *ſpirituali*, quam ipſe *imaginariam* vocat, ſecundum cœlum: *intellectuali* verò tertium cœlum. Intendit igitur Auguſtinus toto illo libro potiſſimum oſtendere, raptum illum D. Pauli ad tertium uſque cœlum, intelligi debere uſque ad viſionem intellectualem DEI.

*Legend. Biblioth. Theolog. noſt. Dominici* Tom. 7. lib. 7. ſect. 5. cap. 7. pag. 696 dicto 6.

*Tria viſionum genera traduntur à S. Auguſtino per comparationem ad 3. cœlos.*

Deinde multis in locis probat, hæc tria viſionum genera diſtingui penes hoc, quòd *viſio ſpiritualis* (ut nunc viſionem corporalem prætermittam, de quâ non eſt difficultas) verſatur circa corporales imagines, ſive ſimilitudines: *intellectualis* verò *viſio* circa intelligibilia objecta omnino ab imaginatione abſtracta; quæ ut clarius pateſiant, nonnulla ejuſdem SS. Patris proferemus loca.

Quærit igitur *cap. 3. illius libri* de Raptu D. PAULI, his verbis: *Adhuc quæri poteſt, utrum imagines corporis fuerint (nempe ea, quæ in raptu vidit PAVLVS) an ea ſubſtantia quæ nullam corporis ſimilitudinem gerit, ſicut DEVS, ſicut ipſa mens hominis, vel intelligentia, vel ratio; ſicut virtutes Prudentia, Iuſtitia, charitas, &c. quas intelligendo, atque cogitando enumeramus, diſcernimus, definimus, non utique lineamenta earum, vel colores, aut quomodo ſonent, aut quid redoleant, aut quid in ore ſapiant, aut quid contrectantibus, de calore, ſeu frigore, de lenitate, ſeu aſperitate renuntient; ſed alia quadam viſione, alia luce, alia rerum evidentia, eaque longè cæteris præſtantiore, atque certiore.*

Et infrà cap. 5. *Si autem*, inquit, *ſpiritus erat, aut corporis imaginem præbuit, aut ſic viſum eſt, quemadmodum videtur ſapientia ſine ullis imaginibus corporum.*

Deinde *cap. 6.* enucleatius explicans tria hæc viſionum genera ſic diſcurrit: *Ecce in hoc uno præcepto, cùm legitur; Diliges proximum tuum tanquam teipſum, tria viſionum genera occurrunt. Vnum per oculos, alterum per ſpiritum hominis* (id eſt imaginationem) *quo proximus & abſens cogitatur: Tertium per contuitum mentis, quo ipſa dilectio intellecta conſpicitur. In his tribus generibus illud primum manifeſtum eſt omnibus: in hoc enim videtur cœlum, & terra, & omnia quæ in eis conſpicua ſunt oculis noſtris. Nec illud alterum quo abſentia corporalia cogitantur, inſinuare difficile eſt; ipſum quippe cœlum, & terram, & ea, quæ in eis videre poſſumus, etiam in tenebris conſtituti cogitamus: ubi nihil videntes oculis corporeis animo tamen corporales imagines intuemur: Tertium verò illud, quo dilectio intellecta conſpicitur, eas res continet, quæ non habet imagines ſui ſimiles, quæ non ſunt quod ipſæ.*

Et infrà cap. 12. *Quando autem penitus avertitur, atque abripitur animi intentio à ſenſibus corporeis, tunc magis ecſtaſis dici ſolet. Tunc omnino quæcumque ſunt præſentia corpora, etiam patentibus oculis non videntur, nec ullæ voces prorſus audiuntur: totus animi contuitus, aut in corporum imaginibus eſt per ſpiritualem, aut in rebus incorporeis nulla corporis imagine figuratis per intellectualem viſionem.*

Præterea cap. 24 *Hæc igitur*, inquit, *natura ſpiritualis in qua non corpora; ſed corporum ſimilitudines exprimuntur, inferioris generis viſiones habet, quam illud mentis, atque intelligentiæ lumen, quo & iſta inferiora dijudicantur, & ea cernuntur, quæ neque corpora ſunt, neque ullas gerunt formas ſimiles corporum, veluti ipſa mens, & omnis animæ affectio bona. Quo enim alio modo ipſe intellectus, niſi intelligendo conſpicitur? Ita & charitas, gaudium, pax, longanimitas, & cætera hujusmodi, & ipſe DEVS, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.*

Et infrà *eod. cap.* conſtituit diſcrimen inter iſtas tres viſiones, in eo quòd corporalis viſio, non poteſt eſſe ſine ſpirituali; ſpiritualis poteſt eſſe ſine corporali, indiget tamen intellectuali, ut dijudicetur. Intellectualis autem poteſt eſſe ſine ſpirituali, & imaginaria.

Deinde cap. 26. *Porrò autem, ſi quemadmodum raptus eſt à ſenſibus corporis* (Et loquitur de viſione B. Joannis quam in Apocalypſi deſcripſit) *ut eſſet in iſtis ſimilitudinibus corporum, quæ ſpiritu videntur; ita & ab ipſis rapiatur, ut in illam quaſi regionem intellectualium vel intelligibilium ſubvehatur. Ibi ſine ulla corporis ſimilitudine perſpicua veritas cernitur, nullis opinionum falſarum nebulis offuſcatur.* Hactenus Auguſtinus. Ex quibus ſatis perſpicuè conſtat viſionem intellectualem ex mente Auguſtini propriè, & verè in eo conſiſtere, ut pura, & nuda veritas ſine ulla phantaſmatum velamine intelligatur.

Divus Thomas in *Epiſt. Pauli 2. Corinth. 12. lect. 1.* expreſſè tradit conſona prorſus D. Auguſtino: conſtituit etiam triplex viſionum genus per comparationem ad tres cœlos. *Eſt autem*, inquit, *triplex viſio, ſcilicet corporalis, per quam videmus, & cognoſcimus corpora; ſive imaginaria, qua videmus ſimilitudines corporum; & intellectualis, qua cognoſcimus naturas rerum in ſeipſis; nam proprie objectum intellectus eſt, quod quid eſt.* Et infra: *Sed ſi aliquis videret ipſa intelligibilia, & naturas ipſorum, non per ſenſibilia, nec per phantaſmata, ſic eſſet raptus uſque ad tertium cœlum.* Hæc ille; ex quibus liquido colligitur ex mente D. Thom. viſionis intellectualis proprium eſſe intueri naturas rerum nudas, ac in ſeipſis.

Quod autem ad viſionem intellectualem ſpectet, veritates ſine ullis velaminibus, purè contemplari, communis etiam eſt Patrum ſententia. D. Bonaventura *5. Itinere æternitatis diſtinctione 4.* ſic habet: *Secundo modo fit hæc revelatio æternorum, ſive viſio intellectualis, ut dicit Richard. quando ſpiritus humanus per internam inſpirationem ſuaviter tactus, nullis mediantibus rebus viſibilibus, ad cœleſtium cogitationem erigitur, ſicut vidit Propheta David, qui vidit in ſpiritu. Et Haymo ſuper Apocalypſim concordat, ubi dicit: Intellectualis viſio, ſive revelatio fit quandoque non per corporales res, nec per ſimiles, ſed ipſa veritas immediatè manifeſtatur videntibus, quod proprium Electorum eſt. Vnde Salvator Petro dixit: Caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt, per interiorem inſpirationem, ait Pſalmiſta: audiam quid loquatur in me Dominus DEVS. Hæc occulta revelatio æternorum, videtur innui per hoc quod dictum eſt Moyſi, quando in interioribus deſerti dictum eſt ſibi: Dices filiis Iſrael: Quis eſt, miſit me. Hic apparet, quòd hæc revelatio fit intellectualiter viventibus, quia filiis Iſrael, & in interioribus mentis, quia interiora deſerti ingredientibus.*

Et infra: *Sed ſciendum eſt, quòd iſta revelatio intellectualis æternorum, non fit niſi intelligentibus, & interiora ingredientibus, ubi omne velum removetur*

ab

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*ab eis. Nam revelatio dicitur, quaſi veli remotio ab oculis intellectualibus, quam remotionem petivit David dicens: Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. De hoc velamine dicit Apoſtolus: Vſque in hodiernum diem velamen in lectione veteris teſtamenti manet non revelatum, quod in Chriſto evacuatur. Nos autem revelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini Spiritu.* Hæc ille.

Nec ſolummodo in viſione intellectuali animam ſine phantaſmatum, ac ſimilitudinum corporeatum involucris; ſed etiam in altiſſima contemplatione hoc ipſum contingere Patrum, plurimorumque graviſſimorum virorum communis conſenſio eſt. S. Bernardus *ſerm. 52. in Cantica* animam ad divinam contemplationem non tam per ſimilitudines à rebus ſenſibilibus mendicatas, quàm à DEO ipſo immiſſas, ſeu infuſas ad modum Angelicæ conditionis ſublevari ſequentibus docet verbis: *Sed moriatur*, inquit, *anima mea morte etiam, ſi dici poteſt, Angelorum, ut præſentium memoria excedens rerum ſe inferiorum, corporearumque non modo cupiditatibus, ſed & ſimilitudinibus exuat, ſitque pura cum eis converſatio, cum quibus eſt puritatis ſimilitudo. Talis, ut opinor exceſſus, aut tantum, aut maximè contemplatio dicitur. Rerum enim cupiditatibus vivendo non teneri, humanæ virtutis eſt; corporum verò ſimilitudinibus ſpeculando non involvi Angelicæ puritatis eſt: utrumque tamen divini muneris eſt, utrumque excedere, utrumque teipſum tranſcendere eſt; ſed longè unum, alterum non longè. Beatus qui dicere poteſt: Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.* Atque iterum idem melliſluus Doctor ſerm. 55. in Cantic. *Tranſiliiſti carnis oblectamenta, ut minimè jam obedias concupiſcentiis ejus. Perfeciſti & ſuperaſtite, ſed nondum elongaſti, niſi & irruentia undique phantaſmata corporearum ſimilitudinum transvolare mentis puritate prævalens.* Hactenus Bernardus.

Cui accedit Richardus Victorinus *lib. 3. contemplat. cap. 1.* qui luculenter noſtram ſententiam tradit ac confirmat, dicens: *Propitiatorium jubetur fieri de auro puro, & mundo, tu doceris ex eo in hac conſideratione uti debere intellectu ſubtili, & puro. Quid hic facit phantaſmatum corporalium creatrix, moderatrix, & reparatrix imaginatio? recedat procul ab hoc negotio tot phantaſiarum formatrix imaginatio, quæ tot corporalium formas quotidie novas creat, antiquas reparat, & per tam multiplices variosque modos pro arbitrio diſponit, & ordinat. Nihil hic proſunt, imo obſunt multum ſuorum ſimulachrorum tam copioſa multitudo. Quid te improbum huic operi ingeris? quid te in hujus contemplationis officinam cum tanta importunitate intrudis? Quid tu in hac officina, quid tibi cum pura intelligentia? neſcis operari in auro, nihil tibi in tali artificio. Neſcis purgare aurum, qui ſemper turbas intellectum purum. Aurum tuum mixtum eſt ſcoria, imò auri tibi nulla omnino eſt copia. Faciendum eſt propitiatorium noſtrum de auro mundiſſimo, non eſt tibi quod offeras, non eſt omnino quod agas ad tale, & in tali negotio.* Hactenus Richardus.

*Legend.* Commentar. *noſt. Balthaſ. à S. Catharina* in caſtellum animæ S. M. Tereſ. manſió.

Huic etiam ſententiæ adhæret Hugo de S. Victore *lib. 2. de anima cap. 20.* tenentque hanc ſententiam omnes ferè myſtici Doctores. D. Bonaventura 3. *Itinere æternitatis diſtinct. 4. art. 2. & 4.* Dionyſius Carthuſianus in *opuſculo de vita incluſarum capite ultimo*, & in *primo ſententiarum diſtinctione 2.* & in *Commentariis myſticæ Theologiæ art. 2.* Ubi etiam ex mente D. Thom. contendit probare, in hac vita dari quoque intellectionem ſine ulla phantaſmatum cooperatione, quorum Auctorum verba *lib. 5. de divina contemplatione cap. 1.* attulimus. Hic autem pro majori hujus veritatis confirmatione ſolum adducemus ejuſdem Dionyſii Carthuſiani præclarum teſtimonium, qui ex divino Dionyſio, *ubi ſupra* probat apertè in his raptibus animam ſine ulla ad phantaſma aconverſione operari. D. Dionyſius *primo myſticæ Theologiæ cap.* inquit: *Tu circa myſticas viſiones forti attentione, & ſenſus derelinque, & intellectuales operationes, & omnia ſenſibilia, & intelligibilia, & omnia exiſtentia: eo enim tuipſum, & omnium irretentibili, & abſoluto exceſſu ad ſuperſubſtantialis caliginis radium cuncta auferens, & ab omnibus abſolutus mundè & purè ſurſum ageris. Quid fortius, quid ſententioſius dicere potuit ſanctus ille? certè qui phantaſmata ſpeculatur, non deſerit nec tranſcendit purè, ac penitus omnem ſenſum, & ſenſibilia univerſa, nec tamen in iſta myſtica contemplatione ſufficit iſta relinquere, niſi & intelligibilia omnia deſerantur, & cuncta creata operationesque propria, & ipſe qui contemplatur, nec ſeipſum intueatur. Quidni iſta contemplatione conferent, quando jam apex mentis ſoli increatæ luci intentus eſt, & unitus per theorica lumina, per ſapientiæ radium, per impreſſiones deificas.*

4. cap. 2. ſplendor. 7. reflex. 4. quæ in hac operatione præter ipſam S. Tereſiam adducit B. P. Joan. à Cruce & Nicolaus à Jeſu Maria part. 2. elucid. Theol. cap. 4. & 5. aliiq. plures è noſtris cum diverſis SS. Patribus.

Rurſus eodem dixit capite: *Omnium cauſa ſolis incircumvelatè, & verè apparet tranſcendentibus omnia immunda, & materialia, & omnes animos ſupercœleſtes. Audis quod ait, incircumvelatè, id eſt, ſine ſenſibilium formarum velamine? & ſi oportet in hac intuitione, & Angelicas puriſſimas mentes tranſcendere, quomodo non magis vilia, & materialia iſta phantaſmata? Adhuc autem ſi ſine phantaſmate nequit mens humana quidquam cognoſcere, quomodo vera ſunt quæ de anagogicæ, ac purè mentali contemplatione, & ſuperna illuſtratione Sancti locuti ſunt, & ſcripſerunt? cur beatiſſimus David cæteris præfertur Prophetis, qui imaginarias viſiones ſortiti ſunt, cùm ipſe anagogicè, & purè immaterialiter ſine phantaſmatum velamento divina prævidit myſteria, & ſacra cognovit abſcondita: incerta, inquiens & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Adverte, & perſpice, quod 2. Regum libro loquitur de ſeipſo. Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam, ſicut lux auroræ oriente ſole manè abſque nubibus rutilat, & ſicut pluviis germinat herba de terra. At verò dicunt illi quod mens humana non illuminatur immediatè à mente Angelica luce immateriali; ſed lux illa unitur phantaſmati, & prout relucet in illo, à mente humana conſpicitur: & nonne mens humana ſimplex immaterialis, Deiformis capacior eſt, directè & immediatè illuminationis, ac lucis Angelicæ quàm materiale phantaſma.* Hæc Dionyſius. Nec diſſentiunt ab hac doctrina Philoſophi quos laudavimus *cap. 1. lib. 5. de divina contemplat.*

Vid. doctorum myſtic. noſt. Antoni à Spiritu S. tract. 3. diſp. 3. ſect. 9. & Philip. ſumm. Theolog. myſtic. 2. part. tract. 3. art. 2.

Ex quibus patet ſolutio ad argumenta in oppoſitum adducta.

CAPUT

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# CAPVT IX.

*Quibus modis poſſit contingere in raptu animam ſine converſione ad phantaſmata intelligere.*

*Triplex in raptu abſtractio à ſenſibus internis dari poteſt.*

TRipliciter, ut exiſtimo, abſtractio à ſenſibus internis in raptu contingere poteſt. Primò per immiſſionem, ſive infuſionem ſpecierum intelligibilium. Secundò, per contemplationem, ſive cognitionem procedentem à ſcientia infuſa. Tertiò, per abſorptionem operationis ipſius phantaſiæ, ſive aliorum ſenſuum internorum. De ſingulis hic breviter diſſeremus.

Pro majori primi modi elucidatione inprimis animadvertendum erit, in noſtra anima, ſive in noſtra mente, hoc eſt, ſuperiori ejus parte (ut ex D. Thomæ doctrina colligitur *quæſt. 12. de veritate art. 12. in corpore*, & *ſecunda ſecundæ, quæſt. 174. art. 2.*) duas veluti facies eſſe, aut ut ita dicam januas: alteram quâ reſpicit, & contemplatur æterna, alteram, quâ temporalia ſpeculatur, deque iis judicat ac diſcernit. Hæc facies, quæ temporalibus intendit, à rebus ſenſibilibus ſimilitudines emendicat, quibus juvatur, ut ad contemplationem ſpiritualium, & incorporeatum rerum aſſurgat. Prima verò facies, quæ nobilior, ac ſublimior eſt, pro conditione ſtatus vitæ præſentis, quia immerſa corpori eſt, pendet etiam à corporis cooperatione, nempe ab imaginatione: quare opus eſt illam inclinari, ac veluti incurvari ad ſpeculanda phantaſmata ab imaginatione ſubminiſtrata, ita ut nec DEUM, nec intelligibilia alia, quantumvis à materia abſtrahantur, ſine imaginationis operatione queat intelligere; hoc intra naturæ limites ſemper fieri contingit. At DEUS aliquando Portam illam, quæ verſus orientem, id eſt, æternitatem reſpicit, ſe ſolo dignatur aperire, atque ad animam clauſis ſenſuum januis ſecretius introire. Ita obſeratis oſtiis ingreſſus eſt ad diſcipulos; ſic quoque ad animam dilectam ſponſam ingreditur, ac dulciflua cum ea miſcet colloquia, quorum non vult partem illam inferiorem, quæ eſt veluti ſuperioris ancilla, participem fieri. Tunc verò anima omnino independenter à corpore Angelico more operatur.

*Duplex quaſi animæ facies exponitur*

Operæ pretium igitur erit, modum iſtum intelligendi, ſine ulla imaginationis cooperatione, qui difficilis apparet, luculentius explicare. Poteſt autem hæc pura intellectus operatio dupliciter contingere. Primò, ſi DEUS immittat pro illo tempore ſpecies intelligibiles infuſas, quas DEUM aliquando infundere docuit apertè D. Bernardus *ſer. 52. in Cant.* dum inquit: *Sitque ei pura cum illis* (ſcilicet Angelis) *converſatio, cum quibus eſt puritatis ſimilitudo.* Et infrà: *Corporum verò ſimilitudinibus ſpeculando non involvi, Angelicæ puritatis eſt; utrumque tamen divini muneris eſt.* Hæc ille. Quibus clariſſimè oſtendit animam DEI munere Angelorum puritatem, in contemplando ſubinde imitari, quorum eſt per ſpecies à DEO infuſas divina intueri & rimari. Idem expreſsè tradit D. Thomas *de veritate, quæſt. 13. art. 2. ad 9.* & *2. 2. quæſt. 173. art. 3.* ubi docet propheticam revelationem aliquando fieri per ſolam luminis ſupernaturalis influentiam, aliquando per ſpecies de novo à DEO impreſſas, vel imaginarias, vel intelligibiles; Divina ſiquidem virtus immediatè (ut benè ibi notavit Cajetan.) imprimit quandoque animæ ſpecies intelligibiles, ut patet, quando Apoſtolis ſcientiam ſupernaturalem infudit.

*Intellectus operatio abſque imaginationis concurſu dupliciter poteſt contingere.*

*Primus modus quo id fieri poteſt declaratur.*

Hoc verò fieri miniſterio Angelorum docet idem Bernardus *ſerm. 41. in Cantic.* dum inquit: *Aurum divinitatis eſt fulgor, Aurum ſapientia quæ deſurſum eſt. Hoc auro fulgentia quædam quaſi veritatis ſignacula ſpondent ſe figuraturos hi quibus id miniſterii eſt, ſuperni aurificii, atque internis animæ auribus inſerturos; quod ego non puto eſſe aliud, quam texere ſpirituales quaſdam ſimilitudines, & in ipſis puriſſima divinæ ſapientiæ ſenſa animæ contemplantis conſpectibus importare, ut videat ſaltem per ſpeculum, & in ænigmate, quod nondum facie ad faciem valet ullatenus intueri. Divina ſunt, & niſi expertis prorſus incognita quæ eſſamur; quomodo videlicet in hoc mortali corpore, fide adhuc habente ſtatum, & necdum propalata perſpicuè ſubſtantia luminis; jam tamen interim pura interdum contemplatio veritatis partes ſuas agere intra nos, vel ex parte præſumit; ita ut liceat uſurpare, etiam alicui noſtrum, cui hoc datum deſuper fuerit illud Apoſtoli,* Nunc cognoſco ex parte. *Item* ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Hactenus Bernard. *1. Cor. 13.*

Idem docet Dionyſ. Carthuſ. *de vita incluſ.* ubi loquens de contemplatione perfecta *cap. 19.* inquit: *Interdum autem fit hoc per ſimilitudines corporales, interdum per formas imaginarias, interdum verò fit hoc ſublimius, purius, atque divinius per ſpecies, & radios intellectuales, hoc eſt, per ſolam intellectualem illuminationem, & ſpiritualis ſpeciei, aut luminis infuſionem, ſicque contingere ſolet perſonis perfectis heroicis ac divinis, quæ ſæpè inopinatis exceſſibus feruntur, ſeu potius rapiuntur in DEUM.* Hæc ille.

Nec prædictis obſtabit, ſi aliquis dicat intellectum hominis in ſtatu viæ non eſſe capacem luminis ſpiritualis, & à DEO infuſi, ſeu alicujus illuſtrationis Angelicæ, niſi lumen illud intellectuale primo conjungatur; & quaſi incorporetur phantaſmati, & per illud repræſentetur intellectui. Primò, quia ut bene ſcribit Dionyſ. Carthuſ. in *commentar. cœleſtis Hierarchiæ art. 5. q. 6.* Si phantaſma, quod eſt corporalis ſimilitudo, capax eſt hujuſmodi luminis ſpiritualis, & illuſtrationis Angelicæ, cur non potius, & immediatius, ac purius mẽs humana, quæ eſt elevata ſupra tempus atque corporea & intelligentia obumbrata in tantum, ut ſecundùm Philoſophum intellectus ſit immixtus, ſeparatus, nulli quid habens commune, & actu ens? unde & ipſe S. Doctor in *ſumma contra gentes* fatetur, & probat, quòd anima rationalis in quantum intellectualis, etiam in corpore adhuc exiſtens eſt per ſe ſubſiſtens. Præterea cùm inter ſuſceptivum, & ſuſceptibile, ſeu ſuſceptum, teſte Philoſopho, oporteat eſſe proportionem, præparationem, & convenientiam, nonne intellectus humanus multipliciter decoratus, Deiformiter ſimplificatus, ac radio contemplationis perfuſus, ac ſplendens magis proportionatus, præparatus, & dignificatus eſt ad ſuſcipiendam immediatè, & purè in ſe influentiam, & irradiationem luminis, & illuminationem mentis Angelicæ, quàm phantaſma? de hoc alibi plenius ſcripſi, & quid objici poſſit teugi, & diſſolvi. Hæc ille.

Quibus addi poteſt D. Thom. de *verit. quæſt. 13. art. 2. ad 9.* expreſsè aſſerens ſpecies intelligibiles à DEO infundi, ſine ullo phantaſmatum, aut imaginationis conſortio. Agit enim ibi de duplici raptu; quorum unus eſt, quo mens rapitur, id eſt, alienatur, & omnino abſtrahitur à ſenſibus externis ad imaginariam viſionem: Alter,

quo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quo abſtrahitur, & rapitur à ſenſu, & imaginatione ſimul ad intellectualem viſionem. Et hoc inquit D. Thomas dupliciter: *Vno modo ſecundùm quod intellectus intelligit DEVM per aliquas intelligibiles immiſſiones, quod eſt propriè Angelorum, & ſic fuit ecſtaſis Adæ, ut dicitur Geneſ. 2. in Gloſſa, quòd ecſtaſis rectè intelligitur ad hoc immiſſa, ut mens Adæ particeps Angelicæ Curiæ, & intrans in Sanctuarium DEI noviſſimè intelligeret. Alio modo ſecundùm quod intellectus videt DEVM per eſſentiam*, &c. Hæc D. Thomas, ubi apertè docet Adamum more Angelorum ſine ulla imaginationis cooperatione per ſpecies intelligibiles à DEO infuſas DEUM purè fuiſſe contemplatum.

*Declaratur alter modus.*

Secundo etiam modo contingere pôteſt hæc omnimodè à phantaſmatibus remotio, ſi DEUS tantum infundat ſupernaturale lumen, quo ſpecies intelligibiles in memoria præexiſtentes ita illuſtrentur, & diſponantur, ut puram veritatem ſine phantaſmatum cooperatione repræſentent.

Præterea nec à ratione diſſentaneum videtur, puriſſimam hanc contemplationem omnino corporearum ſimilitudinum expertem, heroicis viris à DEO impartiri. Primò, quia videtur admodum congruens, ut quorum converſatio in cœlis eſt, more etiam cœleſtium ſpirituum, hoc eſt, ſine ulla corporeæ imaginis admixtione divina contemplentur. Secundò, quia D. Dionyſius ſemper inculcat deſerenda eſſe omnia ſenſibilia, & intelligibilia, & ignotè ſine ulla imagine aſſurgendum ad DEI cognitionem. Et ut infra dicemus non ſolùm imaginatio, ſed & ratio aliquando in contemplatione abſorbetur omnino. Tertiò, quia ſæpiſſimè contigit, ut experientia nos quoque docuit, quòd divinorum puræ contemplationi mente intenta imaginatio in varia & peregrina, imo aliquando omnino contraria diſtrahatur.

Deinde D. Thomas in 3. *diſt. 34. quæſt. 1. art. 4.* apertè docet etiam in ſtatu vitæ præſentis eſſe removenda omnia phantaſmata ad perfectam DEI contemplationem aſſequendam. *In ſtatu*, inquit, *viæ, ſpiritualia, & præcipuè DEVM, magis videmus cognoſcendo, quid non eſt, quàm apprehendendo quid eſt. Et ideo quantum ad ſtatum viæ ponitur cordis munditia, non ſolùm à paſſionum illecebris (quam munditiam donum intellectus non facit, ſed præſupponitur per vitam activam perfectam) ſed etiam ab erroribus & phantaſmatibus, & ſpiritualibus formis, à quibus omnibus docet abſcedere Dionyſ. lib. de myſtica Theol. cap. 1. tendentes in divinam contemplationem.* Hæc D. Thomas. Quibus manifeſtè docet ex mente Dionyſ. ad contemplationis puritatem, ſine phantaſmatum baculo eſſe conſcendendum; deinde aſſerit eſſe proprium effectum doni intellectus nudare & purgare animam, non tam à vitiis, & illecebris, quàm ab erroribus, phantaſmatibus, & ſpiritualibus formis. Et in *eadem quæſt. art. 2.* ſic ſcribit: *In his autem, quæ ſupra rationem ſunt, perficit fides, quæ eſt inſpectio divinorum in ſpeculo, & ænigmate. Quod autem ſpiritualia quaſi nuda veritate capiantur ſupra humanum eſt modum, & hoc facit donum intellectus.* Hæc ille. Sentit ergo D. Thomas etiam in via lumine doni intellectus poſſe nudam veritatem, hoc eſt, ſine phantaſmatum velamine intelligi, & contemplari.

Idem & clarè docet *diſt. 35. quæſt. 2. art. 2.* ubi ita ſcribit: *Vnde fides, quæ ſpiritualia in ſpeculo, & in ænigmate quaſi involuta tenere facit, humano modo mentem perficit, & ideo virtus eſt. Sed ſi ſupernaturali lumine mens in tantum elevetur, ut ad ipſa ſpiritualia aſpicienda introducatur, hoc ſupra humanũ modum, eſt, & hoc facit intellectus donũ.* Et inf. à *quæſt. 2. ad 2.* ſic inquit: *In ſtatu ergo viæ intellectus ingreditur ad ſpiritualia maximè ad divina, primo modo,* (id eſt, *per viam remotionis.*) Et poſt pauca: *Et ad hoc pervenit Moyſes, qui dicitur intraſſe ad caliginem in qua DEVS erat.* Exod 19. *Et propter hoc etiam quantum ad ſtatum viæ munditia ponitur in ſexta beatitudine, quæ pertinet ad depurationem intellectus ab omnibus corporalibus.* Hæc omnia ex D. Thoma adduximus ac collegimus, ut Lectori innoteſcat, Angelicum hunc Doctorem ſaltem plurimis in locis contemplationem puram, & phantaſmatibus prorſus expertem omnino approbaſſe.

## CAPVT X.

### *Qua ratione per contemplationem à Scientia infuſa promanantem, Intellectus omnino à ſenſibus internis abſtrahatur.*

ALtior quidem eſt hujus contemplationis gradus, circa quem tria diſquirenda occurrunt. Primum, An hæc ſcientia per ſe infuſa alicui creaturæ mortali ſaltem per modum actus communicetur. Secundum, an opus ſit in hac contemplatione uti ſenſibus internis, aut externis. Tertium, an caſu, quo ſenſibus, tam internis, quàm externis quis utatur, dicendus ſit raptus.

Pro reſolutione harum difficultatum operæ pretium erit, ſaltem pro prima aliqua ex principiis Theologicis deducta præmittere. Præcipua Theologorum ſchola D. Thomæ veſtigiis inhærendo *parte, quæſt. 9 10. & 11.* duplicem infuſæ ſcientiæ rationem excogitarunt, aliam *per ſe*, aliam verò ut ipſi vocant, *per accidens infuſam.* Eodem enim modo in eadem re philoſophantur, ac in virtutibus *per ſe*, & *per accidens infuſis.* Scientiam per ſe infuſam eam vocant, quæ ſuapte natura poſtulat à ſummo DEO in anima produci, nec ullo modo labore proprio, & exercitatione noſtra poſſit comparari, quia & lumen ad cognoſcendum, & ſpecies intelligibiles ad repræſentandum altioris ſunt ordinis, quàm poſſint attingi, aut comparari in hac vita mortali; quia excedunt omnino modum humanum operandi, id eſt, omnem operationem à gratia habituali, aut donis etiam Spiritus ſancti promanantem, ut ſi animæ infunderentur ſpecies repræſentantes quidditative, vel Angelum vel naturam ſupernaturalem, ut gratiam aliosque habitus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis: Includit enim hæc ſcientia lumen ſupernaturale clarum, & evidens, & ſpecies repræſentantes res ſpirituales creatas, aut Angelicos ſpiritus, prout in ſe ſunt, increatas verò prout ex creatis ſupernaturali evidentia cognoſci poſſint.

*Scientia alia per ſe, alia per accidens infuſa.*

Hanc ſcientiam habuiſſe animam Chriſti cum Angelico Doctore, *ubi ſupra* communis Scholaſticorum ſententia tenet. Cognovit enim Anima Chriſti per hanc ſcientiam quidditativè & intuitivè, ut Theologorum phraſi loquamur, res creatas ſupernaturales in ſubſtantia, aut modo per proprias earum ſpecies, & in proprio genere.

*Scientiã per ſe infuſam habuit anima Chriſti.*

Veriſimile etiam videtur DEIparam Virginem ea ſcientia non caruiſſe. Ita ſentit Albertus verè Magnus in *lib de B. Virgine cap. 71.* ubi docet beatam Virginem habuiſſe cognitionem ſupra fidem, & ſuper cognitionem alterius puræ creaturæ exiſten-

*Et DEIpara.*

ſtentis in via: & *cap.96.* addit ſimul cum habitu fidei habuiſſe habitum, quo perfectius, quam Adã in ſopore, & quam Joannes ſupra pectus Domini recumbens, & quam Paulus in raptu cognovit myſteria ſupernaturalia, & demum *cap.132.* inter alia Virginis privilegia enumerat, quod SS. Trinitatem ſine medio per ſpecialiſſimam gratiam in via cognovit, hanc Alberti doctrinam S. Antoninus *4. parte, tit. 16. cap. 17. §. 1.* apertè refert, amplectiturque libenter.

*Natura & conditiones ſcientiæ per ſe infuſæ exponuntur.*

Hæc autem ſcientia quæ *per ſe infuſa* vocatur, talis eſt naturæ & conditionis, ut ad uſum & exercitium ipſius non opus ſit converſione ad phantaſmata, ut manifeſte tradit D. Thomas *qu. 9. art. 2. & 3.* quia cùm ſpecies per ſe infuſæ non ſint acquiſitæ per ſenſus, neque ullo modo per ſenſus cõparari poſſint; perſpicuum eſt, nullam habere affinitatem, aut ſimilitudinem cum ſpeciebus ſenſuũ; ſunt enim per ſe ipſas ſpecies propriæ, & quidditativæ rerum repræſentantes eas, ſicut revera ſunt. Quare ita movent intellectum ad intelligendas res omnes, ut nullo indigeant adjutorio ſenſuum, ea enim ratione indiget converſione ad phantaſmata; quia intelligit per ſpecies acceptas per ſenſus, quæ affinitatem habent cum ipſis ſpeciebus ſenſuum. Unde clarè infertur habentem hanc ſcientiam æquè poſſe uti illa in ſomno, ac in vigilia, ſiquidem uſus illius nullo modo pendet à converſione ad phantaſmata, & ab uſu ipſorum ſenſuum; quare ſomnus quamvis liget ſenſus, nullo modo poteſt ligare, aut impedire uſum hujus ſcientiæ. Unde ſcientia per ſe infuſa Angelorum more, rerum naturas ac quidditates nudè & apertè contemplatur.

*Scientia per accidens infuſa declaratur.*

Scientia verò *per accidens infuſa* illa dicitur, quæ quamvis labore & exercitatione ipſius ſcientis poſſit haberi; DEUS tamen non expectato labore & exercitatione illam alicui tribuit, ut de Salomone, & Apoſtolis conſtat. Prior dicitur *ſcientia per ſe infuſa*; poſterior verò *per accidens infuſa*, & per ſe acquiſita, hoc eſt, ſuapte natura apta, ut labore & exercitatione comparetur.

*In quo potiſſimum differant hæ duæ ſcientiæ.*

Deinde in eo præcipuè hæ duæ ſcientiæ inter ſe diſtinguuntur, quia cognitio ſcientiæ infuſæ eſt cognitio propria, & quidditativa rei, attingens ipſam ſicuti in ſe eſt: ſcientiæ verò acquiſitæ cognitio non terminatur ad rem ſicuti eſt, quinimò eſt valde remota; eſt enim nata, & comparata ex ſpeciebus acquiſitis per ſenſus; infuſa verò procedit ex ſpeciebus propriis, & quidditativis ipſius rei, quæ per ſenſus comparari nequeunt, ſed à ſolo DEO infundi. Quare ſcientia per ſe infuſa habet ſpecies altioris, & nobilioris ordinis, atque etiam univerſaliores, quàm acquiſita. Unde illa intellectum creatum ad eminentiorem DEI, & creaturarum cognitionem evehit, quam quælibet alia ſcientia creata, ac perinde eſt immediata ſcientiæ beatificæ, & viſionis DEI.

Sed & illud inprimis advertendum, per hanc ſcientiam *per ſe infuſam* non poſſe intellectũ creatum ipſum DEUM immediatè & quidditativè cognoſcere; hoc enim eſſet ipſum DEUM videre more Beatorum. Cognoſcitur tamen DEUS ut Unus per effectus à poſteriori, quatenus per creaturas cognoſci poteſt, & eò perfectius, quo effectus perfectiores ſunt, tam in ordine naturali, quàm ſupernaturali. DEUS vero ut Trinus & Unus per ſpecies per ſe à DEO infuſas cognoſci, & contemplari poteſt, imperfectè quidem ſi cum evidenti cognitione comparetur, perfectius tamen quam poſſit per aliquam aliam cognitionem viatori communicatam.

*Utrum hæc ſcientia fuerit aliquando alicui Sancto communicata.*

Quæ præmiſimus hactenus eo fine repetita videntur, ut inquiramus, an in hac vita hæc *ſcientia per ſe infuſa* fuerit alicui Sanctorum communicata? qua in re in primis cenſeo certiſſimum, hanc ſcientiam poſſe à DEO viatoribus communicari: nec enim eſt ulla efficax ratio, quæ contrariam partem etiam probabilem oſtendat, ſi enim DEIparæ Virgini fuit communicata, eſt profectò creaturæ communicabilis. De facto verò, an fuerit alicui præterquam SS. Virgini per modum habitus conceſſa, non auderem certò ſtabilire. Videtur enim hæc ſcientia mentibus etiam puriſſimis in regione tamen hujus mortalitatis peregrinantibus impervia, ac omnino ab humanæ naturæ cõditione remota, magis Angelicis ſpiritibus, quàm hominibus convenire; hæc de habitu *ſcientiæ per ſe infuſæ*.

Si verò ſermo ſit de lumine, & ſpeciebus per ſe infuſis, tranſeunter, & per modum actus, ſatis probabile apparet hanc ſcientiam aliquando ſanctiſſimis Viris fuiſſe non ſemel ac iterum, ſed frequẽter communicatam; & forſan in illo mirabili primi Parentis ſopore, fuit illi à DEO hujuſmodi contemplatio immiſſa, ut apertè ſignificare videtur D. Thom. *q. 18. de veritate, art. 2. Et ſic fuit ecſtaſis,* inquit, *Adæ, ut dicitur Geneſ. 2. in gloſſa, quæ ecſtaſis rectè intelligitur ad hoc immiſſa, ut mens Adæ particeps Angelicæ Curiæ, & intrans in Sanctuarium DEI noviſſimè intelligeret.* Hæc D. Thomas. Et *quæſt. 18, art. 2.* expreſsè docet, quòd DEUM, & ſubſtantias immateriales primus Parens cognoſcebat, non per res ſenſibiles, ſed per inſpirationem internam, & ſpecies ſupernaturales infuſas, meo quidem judicio à phantaſmatibus independentes.

*More Angelorum divina contemplari quid ſit.*

Quid enim eſt Angelorum more contemplari, (ut aliqui Patres de primo parente uno fatentur ore) quam ſine phantaſmatum ſpeculatione adjutoriove divina intueri? Sanctus Gregorius *lib. 4. dialog. cap. 1. In paradiſo quippe aſſueverat homo verbis DEI perfrui, & beatorum Angelorum ſpiritibus cordis munditia, & celſitudine viſionis intereſſe.* Hæc Gregorius. Quibus apertè denotat Proto-parentem Angelos perfectiſſima viſione conſpexiſſe. Hoc etiam clarè indicant Auguſtini verba *lib. 12. ſuper Geneſ. ad litteram cap. ultimo,* Tom. 3. *Fortè inquam ſic cum eis loquebatur (ſcilicet primis parentibus) & ſi non tanta cum participatione divinæ ſapientiæ, quantam capiunt Angeli, tamen pro humano modulo, quantumlibet minus, ſed ipſo genere viſionis & locutionis.* Hæc ille.

Expendenda ſunt illa verba Auguſtini: *Sed ipſo genere viſionis, & locutionis,* quib⁹ clarè innuit protoparentum viſionem, id eſt, cognitionem fuiſſe ejuſdem generis cum cognitione Angelorum, hæc autem eſt omnino phantaſmatum expers.

S. Damaſcenus *lib. 2. cap. 10.* conſonat. *Homo,* inquit, *in ſtatu innocentiæ DEUM ſicut alter Angelus vidit.* Deinde S. Thomas *quæſt. 18. de veritate art. 2.* expreſsè docet, quod quamvis DEUM, aliasq; ſubſtantias immateriales intelligere naturaliter in hac vita nõ poſſimus, niſi per ſpecies à phãtaſmatibus abſtractas; *ſed ex perfectione gratiæ,* inquit D. Tho. *hoc habebat homo in ſtatu innocẽtiæ, ut DEUM cognoſceret per inſpirationem internã, ex irradiatione divinæ ſapientiæ, per quẽ modũ DEUM cognoſcebat, non ex viſibilibus creaturis, ſed ex quadã ſpirituali ſimilitudine ſuæ mẽti impreſſa.* Hæc D. Th. Sẽtit ergo Doctor Ang. nobilius lumen ac ſpecies intelligibiles fuiſſe

*Ad ſcientiam per ſe infuſam quales requirantur ſpecies intelligibiles.*

non ſolùm primi hominis menti divinitùs impreſſas, ſed etiam eſſe alterius generis, alteriuſque conditionis, & naturæ, quam ſunt ſpecies per ſenſus acquiſitæ. Quare illæ ſpecies, illudque lumen ad ſcientiam per ſe infuſam pertinent, ſpecies enim, quæ ad ſcientiam per accidens infuſam pertinent, talis ſunt naturæ & conditionis, ut petant ex natura ſua abſtrahi à formis ſenſibilibus.

Huic etiam ſententiæ favet D. Bonaventura in *2. diſtinct. 23. art. 2. quæſt. 2.* *Cognitio*, inquit, *hominis in ſtatu innocentiæ media erat inter cognitionem ſtatus gloriæ, & ſtatus miſeriæ.* Unde hujuſmodi ſcientiam per ſe infuſam, licet Protoplaſtes forſan per modum habitus non habuerit in illa ecſtaſi, & ſopore, per modum tamen actus fuiſſe tunc ei communicatam probabiliſſimum nobis videtur. Vidit quippe in illo ſopore, & audivit, ut alter *Paulus* in raptu, quod Patres paſſim fatentur, *arcana DEI mirabilia*, ut expreſsè Auguſtinus *libro 9. ſuper Geneſim ad litteram capite ultimo.* Et Bernardus *ſerm. 2. Septuageſimæ*, & alii non pauci.

Neque ſolum protoplaſto, ſed & aliis Eccleſiæ proceribus, ac ſanctiſſimis Viris lumen hoc, licet in tranſitu à DEO fuiſſe communicatum non dubitamus; nam, & plurimi eorum ad altiſſimam DEI contemplationem, ſuper communem hominum ſtatum elevatam, conſtat fuiſſe divinitus evectos. Quæ quidem viſio, ſive contemplatio, licet ad divinæ eſſentiæ clariſſimam viſionem non pertigerit, tamen infra divinæ eſſentiæ viſionem, ac quaſi ei immediatam contemplationem ſublimatos fuiſſe cognoſcimus. Quæ quidem nobiliſſima contemplatio, cùm neque à lumine gloriæ, neque ab intellectus dono poſſit emanare, videtur, aperteque conjicitur, à lumine infuſæ ſcientiæ proficiſci.

Porro de S. Joanne Evangeliſta Origenes *homil. 2.* in diverſis ita ſcribit: *Joannes intimæ veritatis inſpector, ultra omne cœlum in Paradiſo Paradiſorum, hoc eſt, in cauſa omnium audivit unum verbum, per quod facta ſunt omnia, & licuit ei illud verbum dicere.* Et infra: *Subvectus in ea, quæ ſuperiora ſunt ſecreta, videlicet unius eſſentiæ in tribus ſubſtantiis, ac triū ſubſtantiarum in una eſſentia ingreſſus es.* Hæc ille. Simeon quoque Metaphraſtes in initio vitæ illius de hac altiſſima Joannis contemplatione ita loquitur: *Cùmq; in montem Thabor Chriſtus aſcenderet, ipſe Ioannes una conſcendit, ac dignus habetur viſione admiranda, & majori quàm dici poſſit, ipſam Verbi divinitatem denudatam intuitus eſt.* Videtur igitur de ſublimi, ac extraordinaria DEI contemplatione intelligendus Metaphraſtes, dum inquit, *Ipſam Verbi divinitatem denudatam intuitus.*

Sanctiſſimam quoque Virginem TERESIAM à JESU, ſæpiſſimè ad præclariſſimam, ſplendidiſſimamq; divinorum intuitionem à DEO fuiſſe divinitùs ſublevatam, tam ipſa *Manſione 7. caſtelli animæ cap. 1.* quā alii ejuſdem vitæ Hiſtoriographi Didacus Jepez Epiſc. Turiaſonenſis, Franciſc. Ribera, & Joan. à JESU-MARIA manifeſtè confitentur. Sufficiat nunc ipſammet de hoc loquentem audire: In illa, inquit, viſione intellectuali quadam veritatis ipſius repræſentatione animæ SS. Trinitas manifeſtatur, per quamdam inflammationem, quæ primitus in intellectū deſcendit ad inſtar nubis luncidiſſimæ, ac ſupra quam dici queat claræ, & per admirabilem notitiam, quæ tunc animæ communicatur cum ſumma veritate cognoſcit omnes tres SS. Trinitatis perſonas eſſe unam eamdemq; ſubſtantiam, unam potentiam, unam ſapientiam, ac denique unum DEUM, taliter ut ea, quæ hic per

*Conſulēd. noſt. Balthaſ. à S. Cathar. Commentar. in cap. 1. manſion. 7. caſtelli animæ S. M. Tereſiæ.*

fidem credimus, tunc anima, quaſi intuitivè (ut ita dicam) videat; & ſi non oculis corporeis, cùm hęc viſio non ſit imaginaria. Tunc omnes tres perſonæ ſeſe animæ communicant, cum illa loquuntur, & illuminant ejus intellectum, ut intelligat illa Evangelii verba: *Ad eum veniemus, & manſionē apud eum faciemus.* Hactenus B. Virgo TERESIA, quæ dum ait, Trinitatem quaſi oculis intellectualibus vidiſſe, oſtendit ſe DEUM quamvis non omnino clarè, ferè tamen clarè, & apertè conſpexiſſe. Similes raptus ac ſublimiſſimas in eis contemplationes pluries habuiſſe B. *Ioannem à Cruce* tradit vitæ ejus hiſtoria, de quo Seraphica M. *Tereſia* dicere ſolebat, *illum connumerandū eſſe inter puriores, ſanctioresq; animas, quas DEUS in Eccleſia ſua haberet, & ingentes ei lucis, puritatis, ſapientiæq; cæleſtis theſauros communicaſſe.* Adeoq; *Ioanni* noſtro raptus, ecſtaſes, & à ſenſibus abſtractiones familiares fuēre, ut S. M. *Tereſia* hæc experta, dicere ſolita fuerit: *Impoſſibile eſt ſermonem de divinis cum P. IOANNE miſcere, quia mox ipſe in ecſtaſim abit, aut alios abire compellit.*

*Legenda Joſeph à JESU-MARIA & Hieronymus à S. Joſeph, aliique vitæ ejus Hiſtoriographi.*

In his igitur & ſimilibus contēplationibus perfectiſſimæ juſtorum mentes, ita divina operante virtute, à rebus omnibus creatis abſtrahūtur, imo à ſeipſis, propriiſq; ſenſibus ita alienantur, ut verè in cœlis converſari dicantur; non mirum ſi eorū, quorum eſt converſatio cœleſtis, modus etiā cœleſtium ſpirituum converſandi à DEO infundatur. Ad hanc altiſſimam cognitionem non ſolùm Apoſtolos & Prophetas, ſed & alios heroicos viros, & fœminas, ut jamjam demonſtravimus, divinitùs fuiſſe ſublimatos ex eorum vita, & geſtis non obſcurè conjicimus. Nec enim alienum eſt à divina providētia, ut hi qui cæteros virtutibus ſupra modum antecellunt, à DEO ſupra humanum modum ſubleventur, & qui ſeraphico amore ornantur, ſeraphica etiam cognitione interim donētur. Quod ſi aliquando DEUS præter communem ordinem mentes aliquorum in hac carne viventium, ſed nō ſenſibus carnis utentium, uſque ad viſionē ſuæ eſſentiæ, ut Moyſem & Paulū dignatus eſt elevare, non mirum ſi puriſſimæ etiam Sanctorum mentes ad contemplationem altiſſimā mediā inter viſionem beatam, & fidem per infuſionem luminis etiam medii inter lumen beatificum, & fidei lumen & ſpecierum etiam intelligibilium, quæ etiā medium tenent inter ſpecies à ſenſibus abſtractas, & inter eſſentiam DEI, quæ ſupplet vicem ſpeciei in mentibus Beatorū miſericorditer evehantur. Hoc eſt quod apertè innuit D. Th. 1. *p. q. 12. art. 11. ad 1.* dum dicit viſionē Jacob fuiſſe contemplationē eminentē ſupra communē ſtatum: At communis ſtatus contemplantiū eſt per converſionē ad phantaſmata: habuit ergo Jacob altiorē modū contemplandi & videndi DEUM, per lumen, inquā, internum, ac ſpecies intelligibiles, ejus menti impreſſas à phantaſmatibus independentes.

Quoad ſecundum verò punctum, an in hujuſmodi contēplatione anima neceſſariò debeat eſſe abſtracta à ſenſibus internis & externis, dicendum exiſtimo, Primò in hac elevatione ſcientiæ infuſæ poteſt anima cū voluerit, liberè uti tā ſenſibus internis quā externis, quod apertè conſtat è Chriſti Dni exemplo, qui cùm haberet ſcientiam infuſam ſimul & beatam, ſenſibus tā internis quàm externis liberè utebatur. Præterea hæc elevatio nō penitùs ullo modo converſionem, neque ad ſenſus internos, neq; ad externos, quia cùm ſit independens à phantaſmatibus, ut ſupponimus, & abo-

*[illegible]*

mni

mni externorum ſenſuum perceptione, quia nihil accipit à ſenſibus, cùm omnino fiat per infuſionem ſpecierum intelligibilium, quæ nulla ratione à ſenſibus accipi poſſunt, quare anima, cui à DEO fuerit, donata ſimilis gratia, eſt omnino independens à corpore, neque in contemplatione fatigatur, cùm corpus non defatigatur contemplatione intellectus, niſi propter neceſſariam ejus cooperationem, & phantaſmatum concomitantiam ac concurſum.

*Hæc elevatio meritò raptus nuncupari poteſt, & quare.*

Ad tertium quæſitum reſpondeo, hanc elevationem verè poſſe dici raptum, tum quia anima ad divina capeſſenda perfectiſſimè elevatur, tum etiam, quia iſta elevatio meritò poteſt dici violenta, quia à ſuo cõnaturali modo operandi, nempe per converſionem ad phantaſmata elevatur; in hac verò violenta elevatione, intellectus à modo connaturali operandi raptum conſiſtere ſuperius tradidimus, quòd ſi anima à ſenſibus externis abſtracta vim patitur, quantò magis, cùm ab internis ſimul abſtrahitur.

*Raptus divinus 3. ob cauſas ſine converſione ad phantaſmata, contingere poteſt.*

Ex his manifeſtè inferuntur duo. Primum poſſe divinum raptum contingere ſine ulla converſione ad phantaſmata, tum quando ſpecies, ſive radii intellectuales à DEO infunduntur; tum ratione cõtemplationis à dono ſcientiæ infuſæ promanãtis, ac demum, ut inferius dicemus, propter nimiam abſorptionem phantaſiæ.

*Non eſt de eſſentia raptus abſtractio à ſenſibus.*

2. Infertur non eſſe de intrinſeca ratione raptus, quòd anima à ſenſibus internis ſive externis abſtrahatur, quia ſaltem elevatio illa divina, quæ ratione ſcientiæ infuſæ puriſſimis mentibus contingit, non petit ſimilem à ſenſibus, neque internis neque externis alienationem.

Unde perfectiſſimis animabus poſt aſſiduam divinorum raptuum exercitationem, aliquæ earum ad altiſſimam divinorum contemplationẽ ſuper communem hominum ſtatum elevatam ita divinitus evehi ſolent, ut vel ſpeciebus intelligibilibus à DEO infuſis, vel aliquando lumine infuſæ ſcientiæ per modum actus à DEO communicato altiori modo raptus, abſque ulla ſenſuum tam internorum, quàm externorum amiſſione, ad capeſſenda divina ſublevantur. Ut de Beata Virgine TERESIA refert Epiſcopus Turiaſonenſis in ejus vita *lib. 1. cap. 15.* & de B. P. N. *Joan. à cruce*, P. Hieronymus à S. Joſeph.

## CAPUT XI.

### *An in divino Raptu omnes animæ ſenſus tam externi, quàm interni abſorbeantur.*

LOquimur de raptu naturæ proportionato, id eſt, non promanante à ſpeciebus intelligibilibus à DEO infuſis, de quo ſuperius latius diſſeruimus, ſed de illo, qui licet per actus fiat ſupernaturales, fit tamen per ſpecies acquiſitas, & modo illis & intellectui mortali corpori conjuncto accommodatis. Præterea ſermo eſt in præſenti, tam de raptu, quàm de ecſtaſi, quæ ab amore vehementi in DEUM procedit.

*In raptu regulariter reperitur abſtractio à ſenſibus externis.*

Prima aſſertio, in raptu regulariter reperitur abſtractio à ſenſibus externis, ita ut non ſolùm non operentur, verùm etiam ita impediuntur, ut neque operari poſſint, neque per externa objecta, quantumvis vehementia, excitari queant.

Hæc aſſertio probatur ex D. Auguſtino *lib. 12. ſuper Geneſ. ad litt. cap. 12.* ubi ita ſcribit: *Quando autem penitùs avertitur atque abripitur animi intẽtio à corporis ſenſibus, tunc magis ecſtaſis dici ſolet.* Ex mente igitur Auguſtini vera ecſtaſis non datur niſi cum abſtractione à ſenſibus externis, & de hac intelligi poteſt, quod D. Dionyſ. *cap. 4. de divinis nominibus* aſſerit: *Eſt* (ait) *autem ecſtaſim faciens divinus amor*; ea quidem ratione, quia divinus amor abſtrahit, & ſeparat animam à ſenſibilibus. Eſtque hæc communis ſententia Patrum, eam probat D. Thom. *art. 1. hujus quæſt.* & pleniùs ſuperius declaravimus hanc abſtractionem intellectus à modo connaturali cognoſcendi verè dici raptum, idque manifeſte experientia conſtat.

Ratione etiam probatur, quia operationes ſenſuum externorum neceſſariæ non ſunt, imo impediunt ſubliniorem divinorum contemplationẽ, quia cùm vis animæ noſtræ ſit limitata, & facile per ſenſus diſtrahatur, oportuit claudi exterius ſẽſuum feneſtras, & interius anima ad DEUM elevetur, ad quod multum juvat illa ſuſpenſio externorum ſenſuum, de hoc genere ecſtaſis locutus eſt D. Bonav. *Tomo 2. tract. de 7. gradibus contemplationis*, dicens: *Ecſtaſis eſt deſerto exteriori homine ſui ipſius ſupra ſe voluptuoſa quædam elevatio ad ſupernaturalem divini amoris fontem.* Hæc autem doctrina confirmari poteſt teſtimoniis plurium Patrum.

De hoc raptu Richard, *lib. 4. de contemplat. cap. 16.* quem *ebrietatem* appellat, inquiens: chariſſimi inebriantur, *ebrietas autem mentis alienationem efficit, & ſupernæ quidem revelationis infuſio eos dumtaxat, qui chariſſimi ſunt in mentis excelſum adducit* ſecundũ illud; *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* *Pſal. 35.*

Bernardus quoque *ſerm. 85. in Cantica*; *Sed attende*, inquit, *in ſpirituali matrimonio duo eſſe genera pariendi.* Et intra: *Ut in hoc ultimo genere interdum exceditur, & ſeceditur etiam à corporeis ſenſibus, ut ſeſe non ſentiat, quæ verbum ſentit.* Accedit Vercellenſis qui in illa verba Cant. *Amore langueo*, ſic ait: *Languor iſte uſque ad mortem ducit, mors autem eſt plena ſeparatio vitalis ſpiritus à corpore, & ſignificat plenam ſeparationem vitalis affectus per exceſſum mẽtis, & commodam unitionem ad DEUM.* Expreſſius hoc Richard. Victorin. *de amore inſeparab. cap. 4.* docet, inquiens: *Neque etiam neceſſe eſt, ut in his exceſſibus, quibus humani ſpiritus lutoſis ſenſibus divino munere avelluntur, extra ſe eſſe dicamus, cùm Paulus in ſuo raptu, an in corpore, an extra corpus fuerit ſe dicat prorſus ignorare. Ubi ergo ſunt*, inquit? *In eo quod interius eſt ſui, profundum eſt cor hominis, & inſcrutabile; homo enim ita ſecretus eſt ſibi, quod ſolus ſuiipſius noſcat, quòd interius non educuntur, ſed inducuntur ſpiritus in illo interiori cœnaculo; quodque & illud clauſis ſeorſum ſenſuum oſtiis ſecurius, ſecretiuſq́, caſtiſſimo complexu conveniant cum dilecto, & ibi melius ſecum ſunt, & cùm ſic ibi ſunt ſimul, tutius ſe habent.* Hacten. Richard. Paſſimque apud Patres fit mentio de hac ecſtaſi, quâ ſenſibus externis conſopitis anima ad ſuperna elevatur.

Aſſertio ſecunda, Hæc abſtractio à ſenſibus, quæ in raptu cõtingere ſolet, quaſi connaturaliter conſequitur ad mentis elevationem, ſive vehemẽtem actuationem circa divina; quia quamvis à divina inſpiratione raptus divinus proveniat; ſuppoſita verò hac vehementi intellectus actuatione, alienatio à ſenſibus neceſſariò conſequitur, imò in raptibus, qui contingunt ex vi naturalis contemplationis, etiamſi fiant per ſolam ſpeculationem ſine ullo affectu, ut ſuperius probavimus multorum Philoſophorum exemplo. Hæc concluſio confirmatur à D. Thoma 22. *q. 175. art. 2.* ubi hanc vim ecſtaſim faciendi, hoc eſt, à ſenſibus alie-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

alienationem clarè attribuit vehementiæ affectus, & in *ſolutione ad 2.* docet vehementiam affectuum cauſare ecſtaſim, quæ eneſ cauſat exceſſum cognitionis, quo mens ad intelligibilia vehementer rapitur, alienata à ſenſibus, ubi etiam hoc annotavit Cajetanus, cujus ea eſt præcipua ratio; quia cùm virtus animæ ut non ſemel jam diximus, ſit finita, abſorpta vehementer à ſuperioribus, ac internis actionibus, non poteſt ſimul ad externas derivari.

*Duplex à ſenſibus abſtractio quarum una totalis & perfecta, altera imperfecta & partialis.*

Hæc verò à ſenſibus abſtractio, ut notat D. Thomas 2.2.*qu.* 173.*art.*3, aliquando ſolet eſſe omnimoda & totalis, ita ut eo tempore ſenſus ita ſint ligati & abſorpti, ut nulla ratione ſua objecta percipere poſſint; aliquando verò iſta abſtractio eſt imperfecta, ita ut licet ſenſus non prorſus ſopiantur, vix tamē ſenſibilia percipere poſſunt, quia ſunt nimis debilitati in propriis operationibus.

*Gemina hujus abſtractionis cauſa à D. Thom. aſſignatur.*

Hæc autem abſtractio à ſenſibilibus duplici ex cauſa naturali, ut egregiè docuit D. Th. 2 2.*q.* 173. *art.* 3. provenire poteſt; vel à cauſa naturali ordinata, ſcilicet ſomno, & ſic multi Prophetæ in ſomnis tranquilla mente, & ſine externorum ſenſuum ſtrepitu ad divinas viſiones percipiendas elevabātur; vel à cauſa animali ex nimia ſcilicet attentione ad imaginabilia, aut intelligibilia, ex qua quidem cauſari ſolet iſta à ſenſibus alienatio, ex vehementi enim actuatione potentiæ ſuperioris inferiorum actus, vel debilitantur, vel omnino à ſuis operationibus impediuntur.

Aſſertio tertia, in ecſtaſi contingere poteſt ex vi & efficacia raptus divini, non ſolùm abſtractio à ſenſibus externis, verùm etiam internis.

Hanc aſſertionem latiſſimè probavimus *lib.* 5. *de contemplat.cap.*1. primò ex D. Auguſtini *Tractatu* 102. in Joannem: *Cùm verò*, inquit *ſpiritualis cœperit omnia dijudicare, ipſe autem à nemine dijudicari, etiamſi in hac vita adhuc velut per ſpeculum ex parte perſpicit, tamen non ullo corporis ſenſu, non ulla imaginaria cogitatione, quæ capit, aut fingit qualiūcumque ſimilitudines corporum, ſed mentis certiſſima intelligentia Deum intelligit non corpus eſſe, ſed ſpiritū.*

Et infrà: *Quidquid enim tale ſpiritualibus de DEO cogitationibus ex corporum conſuetudine occurrit, negando atque reſpuendo tamquam importunas muſcas ab interioribus oculis abigunt, & ſinceritati ejus lucis acquieſcunt; qua teſte ac judice, has ipſas imagines corporum ſuis internis aſpectibus intuentes, falſas omnino eſſe convincunt.*

Idem quoque Auguſtinus *lib.*12. *ſuper Geneſim*, in quo ſæpè repetit viſionem intellectualē in hoc diſtingui à viſione imaginaria, quod iſta verſatur circa imagines, ſive ſimilitudines rerū, intellectualis verò circa intelligibilia objecta. Vide eundem Auguſt. *cap.* 3. 5. 12. 24. & 26. ex quibus locis ſatis perſpicuè cōſtat viſionem intellectualem propriè debere in eo conſiſtere, ut puræ & nudæ veritates ſine ullo phantaſmatum velamine intelligantur. Auguſtini doctrinam ſequitur D. Thomas 2. *Cor.* 12. qui conſtituens tria viſionum genera, de tertia ſpecie ſic loquitur: *Intellectualis eſt illa, qua cognoſcimus naturas rerum in ſe ipſis; nam propriè objectum intellectus eſt, quod quid eſt.*

Aſſentitur etiam noſtræ ſententiæ D. Bernard. *ſerm.* 52. in Cant. *Moriatur*, inquit, *anima mea morte etiam, ſi dici poteſt, Angelorum, ut præſentium memoria excedens rerum inferiorum, corporearumque non modo cupiditatibus, ſed & ſimilitudinibus exuat, ſitq; pura cum eis converſatio, cum quibus eſt puritatis ſimilitudo.* Et infra: *Corporum verò ſimilitudinibus ſpeculando non involvi Angelicæ puritatis eſt.* Accedit Richardus Victorinus *lib.* 3. *de contemplat. cap.* 1. ubi loquens de altiſſima, & puriſſima contemplatione, inquit: *Quid hic facit phantaſmatum corporalium creatrix, & reparatrix imaginatio? recedat procul ab hoc negotio tot phantaſmatum formatrix imaginatio, quæ tot corporalium formas quotidie novas creat, antiquas reparat, & per tam multiplices, & varios modos pro arbitrio diſponit & ordinat. Nihil hic proſunt, imo multum obſunt ſuorum ſimul acrorum tam copioſa multitudo. Quid te improbum huic operi ingeris? quid te in hujus contemplationis officinam cum tanta importunitate intrudis? Quid tu in hac officina? quid tibi cum pura intelligentia? neſcis operari in auro, nihil tibi in tali artificio. Neſcis purgare aurum, qui ſemper turbas intellectum purum. Aurum tuum mixtum eſt ſcoria, imo auri tibi nulla omnino eſt copia.* Hactenus Richardus, cui conſentit apertis verbis Hugo de ſancto Victore *lib.* 2. *de anima cap.* 20. *Nihil*, inquit, *ſenſualitas* (& loquitur de raptu) *nihil illic agit imaginatio, ſed omnis interior vis animæ interdum proprio viduatur officio.*

*Imaginatio phantaſmatū creatrix & reparatrix.*

Hanc demum ſententiam omnes ferè Doctores myſtici ſequuntur. D. Bonaventura *lib. de* 7. *Itinerib. æternit. Itinere* 3. *diſtinct.* 4. *art.* 2. & 4. Dionyſius Carthuſ. *de vita incluſar. cap. ultimo*, & in 1. *ſententiarum diſtinct.* 2. ubi triplicem purgationis gradum intellectus conſtituit: *Intellectus*, inquit, *purgatus eſt, cùm abſtrahitur à ſenſibilibus ſpeciebus, purgatior, dum mundatur à phantaſmaticis imaginibus.* Et infrà: *Ex parte autem intellectus tollitur primò præſentia corporis, quæ eſt ad ſenſum. Secundò, præſentia imaginis corporalis ab imaginatione. Tertio, actus intellectus accipientis ex phantaſmate.* Plenius idem Dionyſ. in *Commentariis myſtic. Theolog. art.* 2. etiam ex mente D. Thomæ contendit probare poſſe etiam dari in hac vita intellectionem ſine ulla phantaſmatum cooperatione.

Joan. Gerſon verò *ſuper Magnificat tract.* 1. *Alphab.* 81. *littera Q.* cum diſtinctione procedit, docet enim, quòd licet incipientes in initio phantaſmatibus utantur, & adjuventur; ſed hoc non aſſiduè, quia poſteà adjutrice memoria ſpirituali, cum habitibus, ſive ſpeciebus per intelligentiæ continuationem acquiſitis, poterit ſe in actu continuare ſine miniſterio imaginationis, nam tunc nihil agit inferior ad actum ſpiritus, ſive partis ſuperioris, ſed ſopita quodammodo ſilet & tacet, vel ſi movetur, & ſentit, non conturbat, neque dejicit ſpiritum ab arce contemplationis, hæc eſt pax, quæ ſecundùm Apoſtolum ſuperat omnem ſenſū, & ipſe Gerſon adducit pro ſua ſentētia verba Richardi dicentis: *Felix diviſio, & mirabilis ſeparatio, ubi quod corpulentum eſt, remanet deorſum, quod ſpirituale & ſubtile eſt, uſque ad ſpeculationem divinæ gloriæ ſublimatur, & in eandem imaginem transformatur. Pars inferior componitur ad ſummam pacem & tranquillitatem, cùm pars ſuperior ſublimatur ad gloriam & jucunditatem.* Hæc Gerſon.

Noſtræ ſententiæ ea quoque ratio reddi poteſt; quia in altiſſima contemplatione, ſive contingat in raptu, ſive non, infundi ſolent à DEO ſpecies intelligibiles independentes à phantaſmatibus.

Quare cùm iſtæ ſpecies à ſenſibus non acquirantur, eis utimur ſine ulla converſione ad ſenſus internos.

CAPUT

# CAPVT XII.

## *Quotuplex ſit Raptus divinus, ac quæ ſint ejus ſpecies.*

*Raptus alius eſt intellectus, alius voluntatis.*

RAptꝰ ſi in latiori ſignificatione accipiatur, meritò duplex diſtinguitur; alter *intellectus*, qui provenit ex vehementi cõtemplatione, ſive ex divini luminis abundantia; alter *voluntatis*, qui procedit ex maximo amoris vel exultationis fervore, utrumq; complexus eſt Bernardus *ſer. 49. in Cãt.* ubi exponens illa verba. *Introduxit me Rex in cellam vinariã*, ait: *Cùm enim duo ſint beatæ contemplationis exceſſus, in intellectu unus, & alter in affectu; unus in lumine, & alter in fervore: Vnus in agnitione, alter in devotione; pius ſanè affectus, & pectus amore calens, & ſanctæ devotionis infuſio, etiam & vehementi ſpiritus repletus zelo, non planè aliunde, quàm è cella vinaria reportantur, & cuicumq; cum horum copia ſurgere orationе donatur, poteſt in veritate loqui; quia introduxit me Rex in cellam vinariam.* Hæc Bernardus.

*Vtriusq; natura & conditiones declarantur.*

Procedit igitur raptus ex lumine, quando divinæ lucis ſplendor in tantum animã irradiat, ut ad capiendum illum, & attendendum ad ea, quæ ſibi revelantur, præ nimia attentione ſenſuũ functiones deſerit: procedit præterea raptus ex fervore, nam *amor*, qui teſte Dion. *ecſtaſim facit*, cùm vehemens eſt animã extra ſe ponit, h. e. extra modũ communem, & congruũ ſuæ naturæ, ſcilicet, ut per ſenſibilia intelligibilia cognoſcat, ita ut tunc, licet corpus animare non deſinat, per illud tamen exteriora percipere, aut ſenſibus uti penitus omittit.

De luce quidem & cognitione, quæ datur intellectui, inquit Richard. *lib. 4. de contemplat. cap. 16. Bibunt autem quodãmodo, qui ex divinis revelationibus ſumma cũ facilitate & iucunditate hauriunt, quod de intima veritatũ ſuavitate ardenter concupiſcunt. Chari ergo comedunt, ſed chariſſimi bibunt, quia ſecũdùm menſuram dilectionis diſpenſatur & modus manifeſtationis Ebrietas autem mentis alienationem efficit: & ſupernæ quidem revelationis infuſio eos dumtaxat, qui chariſſimi ſunt in mentis exceſſum abducit.* De amore verò, & transformatione voluntatis dicit idem Author in Tractatu de 4. *gradibus violentæ charitatis*, exponens tertium gradum violentæ charitatis, ſic infert: *Tertius itaq; amoris gradus eſt, quãdo mens hominis in illam rapitur divini luminis abyſſum, ita ut humanus animus in hoc ſtatu exteriorũ omnium oblitus penitus neſciat ſeipſum, totusq; tranſeat in DEVM ſuum, & faciat quod ſcriptum eſt;* Etenim
Pſal. 67. non credentes inhabitare Dominũ DEUM. *In hoc itaq; ſtatu compeſcitur profundeq; ſopitur carnalium deſideriorum turba, & fit in cælo ſilentium, quaſi hora dimidia. Et quidquid moleſtiæ ineſt, abſorbetur à gloria. In hoc ſtatu dum mens à ſe ipſa alienatur, dum in illud divini Arcani ſecretarium rapitur, dum ab illo divini amoris incendio undique circumdatur, intimè penetratur, uſquequaque inflammatur, ſe ipſam penitus exuit, divinum quemdam affectum induit, & inſpectæ pulchritudini configurata, tota in aliam gloriam tranſit.* Hactenus Richardus.

Ad hos igitur geminos fontes, lucis inquam, & amoris, ferè omnes raptus & ecſtaſis ſpecies reducuntur. Raptus enim à luce, ecſtaſis ab amore omnino proveniunt; quàmvis animam excedere, & à ſenſibus alienari à tribus cauſis Richard. *lib. 5. de contemplat. cap. 5. uſque ad 14.* trahere originem docet, nempe hanc alienationem fieri, aut præ magnitudine devotionis, aut præ magnitudine admirationis, id eſt, divinæ lucis irradiatione, aut denique præ magnitudine exultationis, ſeu delectationis, & jocunditatis fieri tradat. Primum ornat affectum, id eſt, voluntatem. 2. Illuminat intellectum. 3. Ad utrumque conſequitur.

*Tres ecſtaſis cauſæ adferuntur & exponuntur.*

Oritur ergo ecſtaſis, ut doctrinam Richardi breviter perſtringamus ex magna devotione, quando Anima tanto deſiderii cœleſtis, & divini amoris igne ſuccenditur, ut ad ceræ ſimilitudinem liquefiat, & quaſi à proprio ſtatu dimota, & inſtar fumi attenuata ad ſuperna conſcendat. Cui devotioni, & amori aliquando magnitudo lucis adjungitur, aliquando ſolus devotionis affectus alienationem operatur.

Oritur deinde ex ingenti admiratione, quando anima divino lumine irradiata, & ſummæ pulchritudinis, & perfectionis divinæ cognitione ſuſpenſa, tam vehementi ſtupore concutitur, ut in ſimilitudinem fulgoris coruſcantis tranſcurſis ſẽſibus in ſumma elevetur; & hæc quidem admiratio, & perfecta cognitio, interdum animæ nõ præventæ advenit, interdum in eam in affectus amoris, vel in profundam meditationem incumbentẽ irruit. Interdum à lumine incipiens, in ardentiſſimum fervorem deſinit. Tunc etiam homo ab exterioribus ſenſibus alienatus, vel ſenſibus interioribus utitur, cùm ſcilicet imaginatio contemplationi intellectus cooperatur, vel etiam à ſenſibus interioribus abſtrahitur, & ſolo intellectu ſine cooperatione phantaſiæ merè ſpiritualiter videt, & amore illo voluntatis, qui hanc cognitionem ſequitur, diligit.

Oritur tandem ex ineffabili exultatione, quando anima internæ ſuavitatis abundantia potata, imo & plenè inebriata, quid ſit, & quid fuerit penitus obliviſcitur; & in alienationis exceſſum lætitiæ nimietate transfertur. Hæc autem jucunditas ſupra modum læta, & hæc exultatio ſuper omnem ſenſum noſtrum jucunda, aut magnã devotionẽ, aut magnam admirationem ſupponit. Quia ſi anima ſummum illud bonum, quod impensè deſiderabat, aut affectu, aut intellectu non poſſideret, nequaquam tam ineffabiliter exultaret, nec ſenſuum uſum præ admiratione deponeret. Hæc ſummatim ex Richardo.

Raptus igitur divinus generatim acceptus has duas lucis & amoris, tamquam præcipuas ſortitur ſpecies, quarum ſingulæ varios ſub ſe gradus, ſive infimas ſpecies complectitur; & ut à raptu, prout à luce dimanat, incipiã, dicturus poſtea de gradibus ecſtaſis, qui ab amore, vel delectatione oriuntur.

Cùm igitur raptus in potentia cognoſcitiva ſubjectetur, ſecundũ varios divinæ illuſtrationis cõtemplandi gradus, poteſt etiam contingere raptꝰ. Sex autem ſunt, ut erudite docet Richard. contẽplationis genera *à ſe*, inter ſe omnino diviſa. Primum itaque eſt in imaginatione, & ſecundùm ſolam imaginationem. 2. Eſt in imaginatione ſecundùm rationem. 3. Eſt in ratione ſecundùm imaginationem. 4. Eſt in ratione, & ſecundùm rationem. 5. Eſt ſupra rationem, ſed non præter rationem. 6. Supra rationem, & videtur eſſe præter rationem. Duo itaque ſunt in imaginatione, duo in ratione, duo in intelligentia.

*Sex contemplationis genera adducuntur & declarantur.*

Primũ in imaginatione, & ſecundùm ſolã imaginationem, tũc contingens, quando iſtarũ rerum viſibilium formam & imaginem conſideramus; attendentes corporalia iſta, quæ corporeo ſenſu inſpicimus, quàm ſit multa, quàm magna, quã pulchra, quàm diverſa, &c, & in illis Dei potentiam, ſapientiam, & bonitatem venerando miramur, & tunc

tunc contemplatio in ſola imaginatione verſatur, quando nihil argumētando, quærimus, vel ratiocinando inveſtigamus, ſed liberè mens noſtra huc illucque diſcurrit, quo eam horum ſpectaculorum admiratio rapit: quando verò prædicta, quæ imaginamur, eorum quærimus rationem, & inventam in conſiderationem cùm admiratione adducimus, & ſpeculamur mirantes, tunc ſecundum cōſurgit genus contemplationis, nempe in imaginatione ſecundùm rationem. Tertium vero genus eſt in ratione ſecundum imaginationem, quando per rerum viſibilium ſimilitudinem in rerum inviſibilium ſpeculatione ſublevamur.

Quartum genus contemplationis eſt, quod in ratione, & ſecundùm rationem formatur, quando ſemoto omnis imaginationis officio ſolum illis animus intendit, quę imaginatio non novit, ſed potius quæ mens ex ratiocinatione colligit, ut cū per inviſibilia noſtra, quæ per experientiam novimus, vel per intelligentiam comprehendimus ex eorum conſideratione in cœleſtium bonorum contemplationem aſſurgimus. Hæc contemplatio ideo in ratione conſiſtit, quia ſemotis ſenſibilibus, ſolis intelligibilibus intendit.

Quintum contemplationis genus eſt, quod eſt ſupra rationem, non tamen præter rationem: ut cùm mens ex divina revelatione cognoſcit, quod humanæ capacitatis metas tranſcendit, ut ſunt illa, quæ de divinitatis natura, & ſimplici DEI eſſentia credimus, quæ quamvis ſint ſupra rationē, non tamen ſunt præter rationem, quia ratio facilè eis acquieſcit. Sextum genus eſt, cùm mens elevatur ad videnda ea, quæ ſunt ſupra rationem, & videntur eſſe contra rationem, ut ſunt myſterium SS. Trinitatis, & alia ſimilia.

*In his omnibus contemplation. generibus contingere poteſt mentis exceſſus, ſed frequentius in duobus poſtremis.*

In omnibus igitur his contemplationum generibus, ut docet idem Richard. *lib.4. de contemplat. cap.22.* contingit contemplantem mente excedere, neque ullum eſt contemplationis genus, quod non poſſit utroque modo mente ſcilicet ſobria, & ebria contingere, & quamvis in quatuor primis quaſi domeſticum ſit ſine ulla animi alienatione in contemplationem aſſurgere, in his tamen duobus noviſſimis, quaſi familiare eſſe ſolet, ut ipſa mens humana ſeipſam excedens in ſenſuū alienationem tranſeat. Quam quidem doctrinam exemplo Moyſis, & Beſeleel confirmat, dicens: *Quòd autem hæc omnia contemplationum genera poſſint per ecſtaſim cerni, myſtico Moyſi exemplo tenemus. Quod verò ſine ullo mentis exceſſu poſſint in contemplationem adduci, ex typico illo Beſeleel opere habemus. Vt enim Moyſes Arcam, & utrumque Cherubim ex divina revelatione videre potuiſſet, montem aſcendit, nebulam ſubintravit. Vt autem Beſeleel myſticum illud opus operaretur, & intueretur, nec montem, nec nebulam quæſiſſe, vel ſubiiſſe legitur.*

Et infrà: *Moyſi utique dictum eſt:* Vide, ut omnia facias, ſicut tibi in monte monſtrata ſunt. *Si ei in monte à Domino monſtrata ſunt omnia, ergo non ſolùm Cherubim, ſed etiam Arca. Hoc eſt, quod ſuperius jam dixi, quia ad quodlibet contemplationum genus pertinentia poſſunt, Domino revelante, per mentis exceſſum videri. Sed ex Beſeleel opere nihilominus poteſt perpendi, quia quælibet horum abſque ullo mentis exceſſu poſſunt, & ſolent in contemplationem adduci.*

Ex quo obiter licet colligere in raptu ſicut in contemplatione varios perfectionis reperiri gradus, nam quo altior eſt cognitio, ſive divinorum contemplatio, eo perfectior eſt raptus ſive elevatio animæ ad divina percipienda.

## CAPVT XIII.

### *Aliæ divini Raptus ſpecies enumerantur.*

SI conditionem & naturam raptus ſpectemus, non incongruè raptus dividi poterit in raptum in ſomnis, vel in vigilia contingentem; in ſomnis quidem anima etiam ad divina rapi, & elevari non impropriè dicitur, quia cùm de natura raptus ſit intellectum prætermiſſo connaturali cognoſcendi modo, mediante imaginatione & ſenſu, ad objectum propoſitum percipiendum elevari, & in ſomnis cum ab hoc operandi modo ſibi connaturali vi ſuperioris naturæ elevetur ad divina intelligenda, conſequens fit etiam hominem dormientem rapi, & elevari. Et juxta hunc ſenſum omnes Prophetæ, qui in ſomnis divinas viſiones habuerunt, eas in raptu accepiſſe jure dicuntur.

*Diviſio raptus in raptum in ſomnis & vigilia contingentem.*

Alius eſt raptus in vigilia contingens, cùm divinus Spiritus mentem hominis elevat, attentam eam reddens ad ea, quæ vult revelare. Si autem DEUS animam rapiat ad viſionem ſive revelationem imaginariam, abſtrahit eam, & ſeparat ab uſu ſenſuum externorum; ſi verò raptus ſit intellectualis, cùm mens noſtra divino illuſtrata ſpiritu, ad viſionem, ſive revelationem intellectualem ſublimatur, tunc abſtractio fit non ſolùm ab uſu externorum ſenſuum, ſed etiam ipſius phantaſiæ. Quando verò mens aſſumitur ad divinæ eſſentiæ viſionem, abſtractio fit à ſenſibus, phantaſia, & formis intelligibilibus, quia eſſentia divina per ſe ipſam videtur. Hæc omnia ſequentibus verbis tradit Auguſtinus *lib.12. ſuper Geneſ. ad litter. cap. 26.* his verbis: *Cùm rapitur anima in ea viſa, quæ ſpiritu cernuntur, ſimilia corporalibus, ita ut omnino à ſenſibus corporis avertatur amplius, quàm in ſomno ſolet, ſed minùs, quam in morte: Iam divinæ admonitionis eſt, & adjutorij, ut ſe non corpora, ſed viſa corporum ſimilia ſpiritaliter noverit cernere, ſicuti quæ in ſomnis videre, etiam antequam evigilent, ſciunt. Ibi ſi etiam videntur futura, ita ut omnino futura noſcantur, quorum imagines præſentes videntur, ſive ipſa hominis mente divinitùs adjuta, ſive aliquo, inter ipſa viſa quid ſignificent, exponente, ſicuti in Apocalypſi Ioannis exponebatur, magna revelatio eſt: etiamſi fortè ignoret ille, cui hæc demonſtrantur, utrum ex corpore exierit, an adhuc ſit in corpore; ſed ſpiritu à ſenſibus corporis alienato iſta videat; poteſt enim ſic raptus id ignorare ſi ei & hoc non oſtendatur. Porrò autem, ſi quemadmodum raptus eſt à ſenſibus corporis, ut eſſet in iſtis ſimilitudinibus corporum, quæ ſpiritu videntur: ita & ab ipſis rapiatur, ut in illam quaſi regionem intellectualium, vel intelligibilium ſubvehatur. Ibi ſine ulla corporis ſimilitudine perſpicua veritas cernitur, nullis opinionum falſarum nebulis obfuſcatur. Ibi virtutes animæ non ſunt operoſæ, ac laborioſæ.* Et infrà: *Ibi enim beata vita in fonte ſuo bibitur.* Et iterum infrà: *Ibi videtur claritas Domini non per viſionem ſignificantem, ſive ſpiritualem, ſicut vidit Eſaias, vel Ioannes in Apocalypſi, ſed per ſpeciem, non per ænigmata,* quantum *ea capere mens humana poteſt, ſecundùm aſſumentis DEI gratiam. Vt os ad os loquatur ei, quem dignum tali DEUS colloquio fecerit, non os corporis, ſed mentis.*

Ex his D. Auguſtini verbis colligit D. Thomas *de veritate quæſt. 13. art. 2. ad 9.* duplicem eſſe raptum; unum, quo mens rapitur à ſenſibus ad imaginariam viſionem, ſicut accidit Petro, *Act. 10.* & Jo-

& Joanni in *Apocalyp.* Alium, quo mens rapitur à ſenſu & imaginatione ſimul ad intellectualem viſionem. Et hoc idem dupliciter: uno modo ſecundùm quod intellectus intelligit DEUM per aliquas intelligibiles immiſſiones, quod eſt propriè Angelorum, & ſic fuit ecſtaſis Adæ, ut dicitur *Geneſ. 2. in Gloſſa*, quòd ecſtaſis rectè intelligitur ad hoc immiſſa, ut mens Adæ particeps Angelicæ Curiæ, & intrans in Sanctuarium DEI noviſſima intelligeret. Alio modo ſecundùm quod intellectus videt DEUM per eſſentiam, & ad hoc fuit raptus Paulus.

*Tres raptus ſpecies aſſignantur à SS. Auguſtino & Thoma.*

Secundùm igitur hanc D. Auguſtini, & D. Thomæ mentem tres gradus ſive ſpecies raptuum diſtingui poſſunt. Alius per elevationem ad viſionem imaginariam, & per abſtractionem ſolum à ſenſibus externis: Alius per elevationem ad viſionem intellectualem, quæ dupliciter contingere poteſt; vel per ſpecies intelligibiles in anima exiſtentes, vel per immiſſionem ſive infuſionem intelligibilium ſpecierum à DEO factam, quæ omnino abſtrahit à phantaſmatibus, maximè illa, quæ fit per immiſſionem intelligibilium ſpecierum, cùm eam Angelorum propriam eſſe doceat D. Thoma. Tertius gradus eſt, cùm mens ad divinæ eſſentiæ viſionem rapitur, in qua in mente non ſolùm à ſenſibus internis, & externis, verùm etiam à ſpeciebus intelligibilibus omnimoda fit ſeparatio.

*Raptus omnium nobiliſſimus quis ſit.*

Inter hos igitur raptus, ille eſt nobiliſſimus, quo anima ad divinæ eſſentiæ viſionem ſuſtollitur; qualis fuit Pauli, de quo infra uberius diſſerendum erit. Secundum locum tenet raptus intellectualis, in quo etiam duo gradus inveniuntur. Perfectior enim ille eſt, quando anima elevatur, ut divina per intelligibilium immiſſionem ſpecierum percipit, quam cùm per ſpecies in anima exiſtentes ad ſimilem viſionem elevatur. Tertium locum ſibi vendicat raptus, quo anima ad imaginariam viſionem ſublevatur, in qua etiam non deſunt alii duo perfectionis gradus. Primus cùm Propheta non ſolùm elevatur ad videndum, ſed etiam ad judicandum de rebus viſis, mente vel divinitus adjuta, ut inquit Auguſtinus *ubi ſupra*, ſive aliquo inter ipſa viſa quid ſignificent exponente, ſicut in Apocalyp. Joanni exponebatur, & tunc, inquit idem Auguſtinus, magna revelatio eſt. Quare raptus quo anima elevatur ad majorem & nobiliorem revelationem nobilior judicatur illo, quo mens ad viſionem tantum imaginariam præcisè evehitur.

*Unde deſumenda raptus ſive viſionis præſtantia.*

Prætereo nunc ecſtaſim illam divinam, qua anima non tam ad cognitionem, quàm ad fruitivam cum DEO unionem elevatur; neque enim hanc aliis divinis raptibus comparare intendo, cùm hæc ad lucem, ſive cognitionem, illa verò ad amorem divinitus ſuſtollatur. De cujus quidem nobilitate, & excellentia ac de ejus gradibus, ſive ſpeciebus inferius diſſeremus. Exiſtimo enim in hac vita nullam viſionem ſive revelationem, quantumcumque ſublimem poſſe comparari cum divina Unione, ad quam anima elevata præ magnitudine amoris & jucunditatis extra ſe ponitur.

*Alias raptus ſpecies aſſignat S. M. Tereſia.*

Redeamus nunc ad alias divini raptus ſpecies. B. Virgo TERESIA Theologiæ myſticæ exper
tiſſima magiſtra, raptum divinum in alias duas ſpecies *lib. vitæ ſuæ cap.* 20. & *cap. 5. manſionis 6. caſtelli animæ* apte diviſit: Aliud quoddam raptus, inquit, genus, quem ego ſpiritus volatum, & elibrationem voco, qui licet unus & idem cum ſuperiore, (de quo *cap. 4.* ipſa egerat) quoad ſubſtantiam raptus, modus eſſe videatur, tamen magna inter utrumque dum habentur, ſentitur interius eſſe differentia, ſubinde quippe valde ſubito, ac quaſi momento, tam præceps ac celer in anima ſentitur motus, ut ſpiritus magna cum velocitate extra ſe rapi videatur, quod ſane in principio magno hominem timore replet, ut propterea ingenti dixerim animo opus habere eum, cui haſce Deus gratias largitur; magna item fide ac fiducia, nec non ſingulari quadam reſignatione, ut nimirum Dominus cum anima agat, quodcunque ei libuerit. Non modica enim turbationis cauſa videtur, hominem plane ſibi præſentem, & ſenſibus plene fruentem, videre animam ſibi ſuſtolli & rapi, (quinimo nonnullorum quoque corpora ſublata fuiſſe legimus) ut neſciat, quo abripiatur, quis vel quomodo eam rapiat; quippe ſub initium hujus momentanei raptus, non uſque adeo certo conſtat, illum à DEO cauſari. Sed eſtne ulla nobis ejus impediendi ratio? prorſus nulla; imo pejus eſt, ei reſiſtere & impedire velle (quod ipſa è quadam, quæ id experta eſt novi) quaſi DEUS animæ ſignificare vellet, ipſam hinc poſſe intelligere, cùm toties tamque ſincero affectu ſe ipſa in manus illius reſignarit, ſeque totam ei adeo integra voluntate obtulerit, &c. Hæc illa.

Hic verò raptus, ſive ſpiritus volatus contingit præcedente quadam DEI notitia, quam intimæ parti animæ DEUS infundit, qua anima ad ſuperiorem ſui partem rapitur, ita ut è corpore exire videatur, & ita raptus alienationem quaſi violentam celeremque importat.

Proſequitur ead. Seraphica Mater *eodem cap.* 5. hæc exponendo, & ſubjungit: Hic, inquit, inſtantaneus ſpiritus noſtri raptus talis conditionis eſſe ſolet, ut verè videatur anima à corpore exire, ex alia verò parte certum eſt animam à corpore non ſeparari; ſaltem anima, quæ raptum patitur, eo tempore ignorat, an in corpore, an extra corpus ſit, compos verò ſui facta, ei quidem videtur ſe in alia regione omnino diſſimili ab ea, in qua habitamus, extitiſſe; ubi ei lux quædam valde diſſimilis ab ea, quâ nos fruimur, oſtenditur, quam ſi toto vitæ ſpatio eam, aliaque à ſe viſa ſua induſtria formare vellet, eſſet impoſſibile, quia uno inſtanti tot, ac tanta ſimul ei à DEO manifeſtantur, quæ etiamſi multis annis ſua imaginatione ea fabricare vellet, vix unam ex mille componeret. Hæc viſio non eſt intellectualis, ſed imaginaria, quia animæ oculis multo melius, quàm nos corporeis ea conſpicit, & ſine verborum ſtrepitu edocetur de multis: Volo dicere, quòd cùm illi aliqui Sancti oſtenduntur, eos quaſi cum ipſis eſſet converſata, omnino agnoſcit. Sæpe etiam ſimul cum his, quæ in viſione imaginaria videt, viſioni intellectuali alia mirabilia cognoſcit ſpeciatim Angelorum multitudinem, DEUM ipſum comitantes, & demum ſine eo quod aliquid videat notitia admirabili, quam ego vix poſſum exprimere ea quæ diximus ei repræſentantur, & alia, quæ minimè explicari poſſunt.

*Capite quoque 20. ſuæ vitæ* de hoc eodem raptu agens, ita ſcribit; quando anima eſt in hoc raptu, non ſemper ita DEO permittente, iſta ſecreta ei manifeſtantur, ita enim abſorpta eſt in delectatione, qua fruitur, quod ei tam ingens bonum ſufficiens videatur; aliquando verò DEUS vult, ut potentiæ animæ ſolvantur, & celeriter magnalia DEI percipiant, itaque in raptu quando anima eſt

in ſublimiore gradu ipſius raptus omnes potentiæ deperduntur, quia omnes unitæ ſunt ipſi Deo. At iſta transformatio in DEUM brevi durat tempore, & tunc potentiarum operationes non percipiuntur.

## CAPVT XIV.

### *De alia nobiliſſima ſpecie Raptus, quæ Beatiſſimæ Virgini contigit, dum in Paſſione Domini præ nimio dolore ecſtaſim paſſa eſt.*

*Dupliciter anima violenter, & contra ſuam naturam rapi poteſt.*

DIvus Thomas *art. 1. hujus quæſt.* docet animam violenter, & contra ſuam naturam rapi dupliciter. Primò, quantum ad modum homini connaturalem, de quo ſuperius plura diximus. 2. Quantum ad terminum raptus, puta quando rapitur ad pœnas, ſecundùm illud Pſalmi 49. *Ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat.* Et quamvis Angelicus Doctor non explicet quomodo, & qualiter fiat iſte raptus, pro pleniori ejus explicatione advertendum eſt, afflictionem ſive pœnam ex triplici capite poſſe provenire. Primò, ex pœna orta ex dolore, vel ægritudine corporis. 2. Ex paſſione triſtitiæ, vel melancholiæ. 3. Ex amore, dolore, aut compaſſione ſpirituali. Ex hac igitur triplici cauſa raptus, etiam cum alienatione à ſenſibus, poteſt originem ducere.

*Triplex cauſa afflictionis, & ex ea provenientis raptus aſſignatur.*

Primò ex vehementi corporis dolore, tùm raptus cauſari poſſunt, quando doloris vehementia hominem ita à ſenſibus abſtrahit, ut nil ſenſibus percipiat, imo etiam omnes interiores potentiæ, imaginatio, intellectus, & voluntas omnino conſopiuntur; ut contingit in patientibus animi deliquium, aut paroxiſmum; aliquando verò exteriores ſenſus deperduntur manentibus integris interioribus animæ operationibus, ut docet Auguſtinus *lib. 12. ſuper Geneſim*, exemplo cujuſdam pueri, qui cùm dolorem acerrimum pateretur, ab omnibus ſenſibus abripiebatur, in quo quidem raptu aliqua ei divinitùs revelabantur.

Præterea etiam raptus ex ingenti triſtitiæ paſſione oriri poteſt, non minùs quàm ex vehementia amoris, qui ſua vi, & vehementia ecſtaſim ſolet cauſare. Demum ex cruciatu, ſive pœna ſpirituali, quando illa eſt vehementer intenſa, potens eſt ecſtaſim cauſare; nam ſicut ſuavitas, ſive dulcedo, quando eſt maxima, animam inebriare ſolet, eamque omnino à ſenſibus alienare, cur pœna eumdem effectum non poterit æquè præſtare, quia cùm, ut ſæpè diximus, virtus animæ ſit finita, & limitata, dum interius vehementer applicatur circa aliquod objectum gaudii vel pœnæ, neceſſariò abduci debet ab operationibus ſenſuum externorum.

Non diſſimilem pœnæ ſive doloris ecſtaſim patiuntur puriſſimæ aliquæ animæ præ magnitudine ſpiritualis pœnæ, ac afflictionum internarum, à ſenſibus abductæ, ut his omnino conſopitis, dolorum acerbitatem, ac magnitudinem melius percipere poſſent. Sicut enim ſuperius de raptu divino diſſerentes, ex doctrina Patrum demonſtravimus, à ſenſibus alienationem in raptu ideo contingere, ut mens aptior ac liberior fiat ad divina, ſive ſuperna capeſſenda. Ita etiam philoſophari oportet in raptu iſto pœnali, quando anima divinitùs derelictis ſenſibus ad interiora convertitur, ut majori conatu & intentione cauſas pœnarum ſive afflictionum ſibi à DEO illatarum uberius percipiat.

Quamvis graves Authores teneant ſimilem pœnæ ſeu afflictionis raptum in DEIpara Virgine concedere, exiſtimantes hos mentis exceſſus ex debilitate & infirmitate naturæ procedere, ac proinde SS. Virgini Mariæ, in omnibus quæ ad naturam, & gratiam ſpectant, perfectiſſimè non eſſe aſcribendos. Mihi tamen ſemper placuit contraria ſententia, pro qua primo ſuppono in DEIpara Virgine divinos mentis exceſſus extitiſſe, quamplurimos cum abſtractione & alienatione à ſenſibus externis. Loquor nunc non tam de raptu pœnali, de quo inferius tractabimus, quàm de aliis raptibus; hanc ſententiam ex ea parte qua docet in Virgine ſanctiſſ. fuiſſe raptus, tenent omnes illi Patres inferius addocendi, qui docent B. Virginem præ doloris acerbitate ſpaſmum ſuſtinuiſſe. Spaſmus verò alienationem à ſenſibus includit. Et quamvis hi Patres ſpaſmum in Virgine DEIpara conſtituentes decipiantur, tamen expreſsè fatentur B. Virginem à ſenſibus externis fuiſſe alienatam, & præ dolorum magnitudine extra ſe raptam, & abſorptam; quod quidem verum eſſe exiſtimo, non tamen eo ſenſu, quo ipſi SS. Virgini aſcribunt; nempe quod hoc fuerit factum per ſpaſmum, aut animi deliquium: noſtram verò aſſertionem in vero ſenſu expreſsè docuit Joan. Gerſon. *Alphabeto* 81. in illa verba: *Exultavit ſpiritus meus in DEO ſalutari meo*, littera S. MARIA, inquit, *frequenter fuit nunc in ſpiritu, nunc ſupra ſpiritum, nunc ſine ſpiritu, ſeu non habens ſpiritum. Et primò B. Virgo fuit in ſpiritu, dum operationem ſpiritualem habuit in cognoſcendo plurima, quæ cantabat de magnificentia DEI, in ſuis operibus, ut de creaturarum origine, magnitudine, multitudine, plenitudine, pulchritudine, operatione & ordine.*

*DEIparā V. plurimos mentis exceſſus divinitus habuiſſe multi ſentiunt.*

*Erat ſecundò ſuper ſpiritum, vel in exceſſu ſpiritus, vel in ecſtaſi mentis reſpectu illorum, quorum non poterat ex ſua virtute, vel intelligentia propriam cognitionem accipere, ut quid eſſet DEVS in ſe, & in ſua magnificentia, quid Angeli per omnia, quid felicitas, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit.*

*Quomodo SS. Virgo frequenter fuerit in ſpiritu, ſupra ſpiritum, ſub ſpiritu, ſine ſpiritu, ſeu non habens ſpiritum, declaratur.*

*Erat tertiò ſine ſpiritu reſpectu illorum, quorum nullam ex ſpiritu ſuo poterat rationem attingere. Ut Regina Saba reſpectu ſapientiæ Salomonis. Hæc alio modo dicitur defectio ſpiritus uſitato nomine in Pſalmis, & in Canticis; ſic enim canitur in proſa de Sanctis. Mirantur, & deficiunt in eum quem proſpiciunt. Hanc Chriſtus notabat cùm dixit: Niſi quis abnegaverit ſemetipſum, non poteſt meus eſſe diſcipulus, Quia niſi quiſque à ſemetipſo deficiat (exponit Gregorius) ad illum qui ſupra ipſum eſt non appropinquat. Hanc Apoſtolus nominat captivationem intellectus in obſequium Chriſti. Sub hoc tropo ducuntur monachi ſine voluntate: nec habere velle, vel nolle. Vocatur alio quando ſtupor vel ecſtaſis conſurgens ex admiratione vehementi rei, cujus cauſa penitus ignoratur ſecundùm Damaſcenum. Erat quartò MARIA ſub ſpiritu, dum animæ ſuæ, hoc eſt portionis inferioris operationibus intendebat.*

Idem Gerſon Tract. 3. in Magnificat *Alphab. 82 lit. Q. Erat tunc*, inquit. *ſpiritus MARIAE licet in corpore, quaſi nil de corpore portaret, hinc defeciſſe, hinc extra ſe fuiſſe*, &c.

*Objectio.*

Dices, raptus etiamſi ad divina quis elevetur, videtur imperfectionem arguere. Primò, quia provenire ſolet ex admiratione; admiratio verò ex novitate rei contemplatæ. Secundò, Quia importat

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rat naturæ debilitatem, & limitatam capacitatem, quam in Virgine non licet admittere, quia aſſueta erat divinarum rerum contemplationi, atque aſſiduis ad divina elevationibus. Tertio, quia propter has rationes in Chriſto Domino raptus à Theologis non admittitur.

*Solutio.*

*Duplex raptus ſpecies declaratur.*

Ad has objectiones reſpondeo, raptus eſſe in duplici differentia. Alius eſt, quando ex elevatione ad divina quis à ſenſibus alienatur, non tam propter magnitudinem, aut excellentiam eorum, quæ in raptu quis contemplatur, ſed ſæpè id contingere ſolet ex debilitate, modicaque capacitate, aut ex novitate, & admiratione eorum, quæ inſpiciuntur, & hoc raptuum genus etiam incipientibus contingere ſolet, ut *lib. 2. de divina orat. cap.* 10. latius docuimus; hi enim veluti inexperti, & rebus divinis non aſſuefacti, facilè earum novitate ſuſpenduntur, ſicut ruſtici vino non aſſuefacti citò inebriantur.

Aliud eſt raptus genus, quo mens humana ad altiſſimas divinarum rerum Theorias, divina inſpiratione eam tangente elevatur, atque à ſenſibus externis omnino abſtrahitur. Ubi non tam ex debilitate naturæ, quàm ex magnitudine, & altitudine rerum, quæ videntur extra ſeipſam quis ponitur atque à ſenſibus alienatur. Et hoc potius ex animi virtute & perfectione, quàm ex naturæ vel corporis imbecillitate provenit.

Hujuſmodi autem raptus in Beatiſſima MARIA Virgine admittere nullam plane naturæ imperfectionem demonſtrat (loquor de natura humana intra terminos naturæ) quæ proprios habet terminos, & limites finitos, in qua virtus, & intentio animæ finita quoque eſt, & limitata; quare cùm hæc vehementer intenditur circa unum objectum, circa aliud remittitur, excepto Chriſto Domino, in quo animæ potentiæ ita ſuas operationes exercebant, ut nulla eſſet redundantia unius potentiæ operationis in aliam, nec ſeſe ullo modo impediebant, quod quidem privilegium puræ creaturæ numquam fuit communicatum.

Confirmari poteſt hæc ſententia: Primò, quia beatiſſima Virgo in ſalutatione Angelica fuit quidem turbata, ut conſtat ex illis verbis *Lucæ* 1. *cap. Turbata eſt in ſermone ejus*, verum non ob dubitationem, quod illis verbis videtur demonſtrare. *Quomodo fiet iſtud?* quæ verba, ut inquit Auguſtinus, quem ſequitur D. Thomas *3. parte quæſt.* 30. *art. 4. ad 2.* magis ſonant admirationem, quàm incredulitatem, aut dubitationem, & rationem etiam hujus perturbationis adducit D. Thomas ex D. Ambroſio, *ut ſupra art. 3. ad 3.* ubi egregiè confirmat noſtram ſententiam dicens: *Ad tertium dicendum*, quòd ſicut Ambroſius *lib. 1. in* Lucam *titulo de Angeli apparitione* dicit *perturbamur, & à noſtro alienamur affectu, quando perſtringimur alienſus ſuperioris poteſtatis occurſu. Talis tamen perturbatio hominis non tantùm homini nocet, ut propter eam debeat Angelica apparitio prætermitti. Primò quidem quia ex hoc ipſo quòd homo ſupra ſe ipſum elevatur (quod ad ejus pertinet dignitatem) pars ejus inferior debilitatur, ex quo provenit perturbatio prædicta; ſicut etiam calore naturali ad interiora reducto exteriora tremunt.* Neque enim ſopor ſive ecſtaſis irruens in primum parentem, & eum alienum à ſenſibus efficiens, illius naturæ, quæ à DEO in juſtitia originali omnino integra, & perfecta creata fuit, imperfectionem aliquam redarguebat; nec prætereà in aliis ſanctiſſimis Viris divini raptus, ſive revelationes à DEO immiſſæ, eò quòd in ipſis turbarentur, aut à ſenſibus abducerentur naturæ imperfectioni aſcribendum videtur, ſed potius divinæ virtuti, & potentiæ attribuendum, quæ talis & tanta ſolet eſſe, ut humanam naturam ad ſuperna prætermiſſis ſenſibus, ſeu potius conſopitis tamque rudioribus inſtrumentis rapiat. Et hoc quidem non eſt evertere aut debilitare naturam, ſed eam traducere ad altiorem ſtatum, & perfectiorem operandi modum, cujuſmodi eſt poſſe intelligere ſine obligatione deflexuque ad ſenſus externos.

*Objectio.*

Dices ſecundò, quia beatiſſima Virgo habuit ſcientiam per ſe infuſam divinorum myſteriorum, qua quidem, ſecundùm probabiliorem ſententiam, utebatur ſine ulla converſione ad phantaſmata, neque à ſenſibus externis abſtractione, igitur ſuperfluum eſt ponere raptus cum alienatione à ſenſibus ad divinorum perceptionem.

*Solutio.*

Reſpond. duplicem cognitionem rerum ſupernaturalium habuiſſe SS. Virginem. Alteram per modum habitus, qualis fuit cognitio ſcientiæ per ſe infuſæ; alteram per modum actus, quæ reſultat ex divinis illuſtrationibus, ſive revelationibus, quæ fieri ſolent tranſeunter; quod ſi de hac cognitione loquamur, in primis probabiliter, ac piè credi poteſt SS. Virginem fuiſſe raptam ad videndum clarè, licet brevi tempore, divinam eſſentiam, ſicut Paulus vidit in raptu. Ita docent communiter hujus temporis graviſſimi Authores.

*Probabile eſt Deip. Virg. aliquando raptam fuiſſe ad videndam divinam eſſentiam.*

Præterea extra Verbum habuit B. Virgo in hac vita varias ac multiplices revelationes, ad quarum ſuſceptionem interdum à ſenſibus rapiebatur. Ita docet D. Anſelmus *lib. de excellentia Virginis cap.* 10. accepiſſe Virginem ea hora, qua filium concepit ſuæ prædeſtinationis, & ſuper omnes Angelorum Choros exaltationis certam atque indubitatam revelationem. In quibus quidem revelationibus pro diverſitate objectorum, vel rerum opportunitate B. Virgo varias accipiebat cognitionum ſpecies. Quare non obſtante habitu ſcientiæ infuſæ, meritò poterat his & aliis illuſtrationibus per modum actus illuminari.

Aſſertio ſecunda, SS. Virgo nulla ratione ſpaſmum ob dolorum magnitudinem, aut animi pœnas paſſa eſt. Hanc ſententiam communiter tenent omnes ferè hujus ætatis Viri graviſſimi ac doctiſſimi; eam ex profeſſo docet Cajetanus in opuſculo ſpeciali *de ſpaſmo Virginis*, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, ſpaſmum eſſe propriè contractionem, diſtentionem ſeu convulſionem nervorum, ex doloris magnitudine, ut docet Avicenna, cauſatum, ſed alienum à ratione videtur hujuſmodi morbum in DEIpara Virgine admittere; contradicit enim litteræ Evangelicæ *Ioan.* 19. ubi dicitur: *Stabat juxta Crucem IESV mater ejus*, quod ſi ſpaſmum ſuſtinuit, quomodo ſtabat? aut quomodo ſanata eſt ab illo morbo, aut quomodo liberari potuit à ſpaſmo, præſertim non ſubtracta, ſed potius creſcente cauſa ſpaſmi, id eſt, dolore concepto ex graviſſimis innumeriſque tormentis Chriſti Crucifixi.

*Spaſmus quid ſit.*

Quod ſi per ſpaſmum Virginis intelligas *Syncopen*, id eſt, defectionem animi, ſive deliquium mentis, proveniens ex nimia triſtitia, & à Græcis dicitur λειποθυμία, eſtque teſte Galeno, præceps virium lapſus, in quo affectu concidunt, & proſternuntur vires, langueſcunt ſenſus, deficiunt arteriarum pulſus, & ſudores concitantur; hæc inquam perfectioni, & plenitudini gratiæ, quæ erat

in

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

in MARIA convenire non poterat, nam ſimilis dolor hominem ponit extra ſe, & exercitium rationis adimit, quia intercipiuntur ſenſus.

*Triplex ſpaſmi genus.*

Non deſunt Authores, inter quos eruditus Malonius de *Chriſti Domini ſtigmatibus cap.* 12. quem ſecutus eſt Scholiaſtes ſuper Revelationes S. Brigittæ perdoctè diſtinguit triplex ſpaſmi genus. Primus eſt ſpaſmus propriè dictus, cùm ex vehementia & acerbitate doloris, nervi contrahuntur, convelluntur, & rigeſcunt, ut non ſolùm cruciatum acerbiſſimum inferant, qui etiam hominem à rationis & ſenſuum uſu abducit, ipſumque exanimem reddit, poſt longam verò moram, etſi rationis ſenſuumque uſum homo recuperet, longo tamen poſtea morbo detinetur.

Secundus ſpaſmus dicitur, cùm etiam abſque nervorum contractione vel convulſione, dolor tamen ita augetur, ut cruciatus acerbitas deliquium animi, vel ſyncopen inducat, adeo, ut homo concepto mortis pallore à ſenſibus ita abducatur, ut frigido ſudore madefiat, & non ſolùm non ſenſibus, ſed nec ratione quidem uti poſſit. Tale deliquium animi ſæpè cruciatus, quibus Judices ad veritatem eruendam ſontes vexant, inferre ſolent.

Tertius ſpaſmus vulgari omnium locutione valde acutus eſt, & intenſus, qui etſi nervos non contorqueat, neque convellat, neque etiam ſenſuum, & multo minus rationis uſum intercipiat, ita tamen dirè, ac crudeliter hominem vexat, ut vires corporis quodammodo marceſcant, & virium debilitas ſubſequatur, & ſuſtentare ſe vix homo poſſit, in terramque interdum labatur. Sic dixit Daniel: *Emarcui, nec habui quidquam virium,* in hoc ſenſu, inquit hic Author, rectè admitti poteſt ſpaſmus in B. Virgine, & quod ex vi illius in terram ceciderit, & in hoc etiam ſenſu, illum credibilem judicat, licet eum non ſequatur Cajetanus *opuſculo de ſpaſmo B. Virginis:* nam poſtquam dixerat: *Dicitur igitur vulgò ſpasmatus aliquis cecidiſſe, cùm præ doloris magnitudine ſyncopen, ſeu ecſtaſim patiens cadit; occurritur enim tunc ad ſuſtinendum, & aqua in vultum aſpergitur.* Continuò ſubjungit hæc verba: *& juxta hunc ſenſum, crediderim ego dici B. MARIAE ſpasmum; hujusmodi autem doloris modum in B. Virgine fuiſſe ex magnitudine ſuæ triſtitiæ credi poteſt.*

*Dan. c. 10. 8.*

Hæc ſententia non caret ſua probabilitate, ut Cajetanus inſinuare videtur, & forſan hoc voluerunt ſignificare D. Bernard. opuſcul. *de lamentatione B. Virginis.* S. Bonavent. *lib. meditatio. vitæ Chriſti cap.* 77. 79. & 80. Anſelmus *dialogo de Paſſione Domini.* Laurent. Juſtinian. *lib. de triumphali agone cap.* 21. Dionyſius Carthuſ. *in cap.* 19. *Ioannis,* qui expreſſis verbis dicunt B. Virginem ceciſſe velut ſemimortuam aut inſenſibilem.

Deinde ratione etiam probatur; quia hujusmodi genus ſpaſmi dolorum B. MARIÆ acerbitatem exprimit, & ejus excellentiæ, & dignitati non derogat, cùm non admittat alienationem mentis, nec ſenſuum, nec contractionem nervorum aut diſtentionem, ſed ſolùm dolorem adeo acerbè vexantem, ut corporis vires debilitet, & in terram collabi faciat; ſicut & Chriſtus Dominus collapſus dicitur bajulans crucem, tum ex nimio pondere illius, tum ex nimia debilitate, quàm ex copioſa ſanguinis effuſione, tam in horto, quàm dum flagellaretur, facta.

*Nullum ſpaſmi*

Hæc tamen ſententia communiter rejicitur, neque enim in Virgine Matre ullus admittendus eſt ſpaſmus, non ille, qui alienationem mentis, & ſenſuum adfert, neque is, qui illam debilitatem in corpore cauſat, ut collabi eam compelleret, etiam ſalvo uſu rationis, & ſenſuum, ita docent graviſſimi Theologi Cajetan. *Tomo 2. opuſculorum, quæſt. ultima.* Bartholo. de Medina 3. *parte, quæſt.* 27. *art.* 4. & omnes Commentatores D. Thomæ in eo loco. Toletus *in cap.* 19. *Ioannis,* & ibi omnes ferè hujus temporis Expoſitores.

*genus in Virgine Matre admittendum.*

Primò, quia non fuit in B. Virgine hæc nervorum vel membrorum contractio, aut alia cauſa, quæ eam collabi in terram impelleret, cùm apertè Joannes dicat: *Stabat autem juxta Crucem IESV Mater ejus.*

Secundò, quia ſpaſmus ille plurimum ejus dignitati detrahit; nam tollit ab ipſa heroicum illum conſtantiæ gradum; quem maximè in ea Patres commendant, & præcipuè ſanctus Antoninus 4. *parte ſummæ tit.* 5 *cap* 41. §. 1. qui dicit, quòd B. Virgo ſtabat ante Crucem verecunda, modeſta, lacrymis plena, doloribus immerſa, tamen divinæ voluntati conformis, quod ſi oportuiſſet ad implendam voluntatem DEI, ipſa filium in Cruce poſuiſſet, atque obtuliſſet, nec enim minoris fuit obedientiæ, quam Abraham, Collapſa autem in terram manifeſtum eſt, quod id non potuiſſet præſtare. Tertiò, quia B. Virgo commendatur non ſemel ab adeo egregia complexione, & corporis temperie, ut numquam in morbum ullum inciderit. Quartò, quia ſi aliquando B. Virgo præ doloris magnitudine in terram corruiſſet, maximè id fuiſſet Chriſto in Cruce vivo pendente, inter acerbiſſimos dolores ac cruciatus, ſed tunc Joanne teſtante, ſtabat juxta Crucem, ſtare autem ibi, non denotat permanentiam ſolùm, ſed ſpecialem corporis poſitionem & modum ſitus, hoc eſt, quòd non ſedebat, aut jacebat, ſed ſuis pedibus innitens firma & ſtabilis conſiſtebat. Nulla ergo ratione dici debet præ magnitudine doloris juxta Crucem vel alibi SS. Virginem in terram corruiſſe.

Aſſertio tertia. Beatiſſima Virgo præ magnitudine atque acerbitate dolorum, quos ex Paſſi Chriſti Domini ſtans juxta Crucem concepit, à ſenſibus abducta incidit in mentis exceſſum, ſive ecſtaſim. Hanc ſententiam apertè, aliter tamen docet Salmeron. *Tomo* 3. *Tract.* 43. ubi agens de occurſu, quo Chriſtus Crucem bajulans Matri occurrit, contra eos, qui aſſerebant Virginem tunc ſpaſmo mortuam fuiſſe; ipſe affirmat, in eo occurſu Virginem fortaſſis raptam fuiſſe à DEO, & in ecſtaſim elevatam, in qua de mortis ipſius Chriſti tormentis, & fructu ejus, ac de cauſa, nempe de peccatis hominum erudita fuit, & inde maximis doloribus cor ejus fuiſſe affectum, in commiſeratione Filii & omnium noſtrum.

*SS. Virgo ob dolorum magnitudinem, in Cruce in ecſtaſim incidit.*

Antequam aſſertionem hanc comprobemus, aliqua ſunt præmittenda. Primum, aliquando à DEO puriſſimis animabus ſpirituales pœnas, & cruciatus divinitùs immitti; quæ quidem pœnæ eas ſummoperè purificant, ac perficiunt. De hoc pœnarum ſpiritualium genere egregiè diſſerit B. Mater *Tereſia à IESV,* quæ poſt magnam harum pœnarum experientiam, de earum excellentia, & nobilitate, *manſione* 6. *cap.* 2. & *vita ſuæ cap.* 20. ita ſcribit: Hæc pœna verè eſt effectus divini raptus, & eſt veluti ſagitta ignea, quæ animam transfigit; &, ut exiſtimo, dolor ab ea cauſatus non ſentitur in illa parte animæ, ubi aliæ pœnæ, ſed in profundiori anima, ubi fulgur iſtud cito

*Legend. Compendium myst. ... hanc B. ... M. Teres. lib.*

per-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*ſion. 6. cap. 2. & ab eo ibidem citat. è noſtris B. P. Joan. à Cruce lib. 2. Noct. obſcur. lib. 2. cap. 12. & Cant. 3. ſtam. amor. §. 1 & ſeqq. & Ioſeph. à Ieſu-Maria Tom. 1. Aſcenſ. animæ ad Deum lib. 3. cap. 1. & ingreſſus animæ in paradiſum lib. 1. cap. 28*

pertranſiens quidquid in nobis terrenum reperit, in pulverem convertit, & tempore quo hæc pœna perdurat nullius rei poſſumus habere memoriam, quia in illo puncto ita animæ potentias ligat, ut nullo modo liberæ remaneant, niſi tantum, ut ea percipiant, quæ hunc angorem augere poſſunt; ſicque remanet quaſi eſſet in raptu abſtracta à ſenſibus, & potentiis quoad omnia, quæ ad hanc leniendam pœnam poſſent eſſe propitia. Quare intellectus vigilat, ac tum ſua perſpicacia penetrat cauſam doloris juſtam, quam habet ſentiendi DEI abſentiam, ac ſolet tunc divina Majeſtas tam ſingulari vivacitate notitiam ſui, animæ præbere, ut aucta pœna cogatur, etiamſi nolit, magnos clamores edere, quantumvis hæc anima magna polleat tolerantia; ego aliquando vidi in hoc ſtatu perſonam quamdam conſtitutam, quæ vere vitam exhalare videbatur, & hoc mihi non videbatur mirum, quia hæc pœna exponit habentem eam magno mortis periculo, & quàmvis parum duret, tamen relinquit corpus prorſus confractum ac divulſum, & pulſus ita apertos, ac ſi eſſet proximus morti.

*Et infrà paucis interpoſitis proſequitur*: Jure anima videtur eſſe inter cœlum & terram, & nullam è cœlo conſolationem habet, neque è terra venientem admittit. Quare manet quaſi crucifixa inter cœlum & terram omnino deſolata; à neutra harum parte conſolationem aliquam recipiens, quia ea, quæ de cœlo deſcendit, eſt, ut jam dixi, quædam DEI notitia admirabilis, ſupra omne id, quod deſiderare poſſumus. Hæc inquam magis animam cruciat, quia omnino auget deſiderium moriendi, & eſſe cum Chriſto, itaque in eo videri hæc ingens pœna aliquando abſtrahit animam à ſenſibus, quamvis parum duret. Demum ſunt quaſi mortis tranſitus & anguſtiæ.

Deinde inferiùs ſubjungit: Hæc pœna animam mortis periculo verè exponit, quod ego experientia comperio, quia cùm aliquando graviſſimis morbis oppreſſa mortis periculum ſubierim, non dubito quin iſtud periculum non fuerit aliis diſſimile.

Hujus verò pœnæ dignitatem & excellentiam, *Cap. 20. ſuæ vitæ.* His verbis confirmat; qui hanc pœnam ſentire ſolent, tanti eam æſtimant, ut nulla ratione hunc favorem divinum pro quacunque alia gratia, etiam à DEO infuſa, commutarent, quare cùm in principio prædictam pœnam ſentiens timere cœpiſſem, Dominus ſtatim ab hoc timore me liberavit accelerans iſtam pœnam, dicens: *Ne timeas, quia inter alias gratias tibi à me collatas, hæc eſt præcipua, quare eam magni magnique debes æſtimare.* Hæc B. Mater Tereſia.

Ex hac doctrina tria noſtro propoſito conducentia colligo. Primum hujuſmodi pœnam, ſive afflictionem eſſe maximam ac nobiliſſimam gratiam à DEO puriſſimis mentibus conceſſam. Secundum vi hujus pœnæ, & afflictionis animam diviniùs à ſenſibus abſtrahi. Tertium, hujus pœnæ acerbitatem aliquando adeo excreſcere, ut evidenti mortis periculo eam ſuſtinens exponatur.

*Duplex gladius animam Virginis Matris confixit.*

Præmitto ſecundò. Virginem ſanctiſſimam acerrimos plane in paſſione ac morte Chriſti Domini dolores ſuſtinuiſſe; quod ipſi prædictum fuerat à Simeone illis verbis: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Lucæ 2. Duplici quippe gladio SS. Virginis anima eo tempore tranſfixa fuit. Primo amoris gladio anima ejus intimè ſauciata; nam cùm ardentiſſimè Filium ſuum diligeret, non potuit non eodem gladio, quo ipſe tranſfixus fuit, illa quoque tranſfigi: amor enim aliquando gladio comparatur, amantiſque animam vulnerare dicitur; juxta illud: *Vulneraſti cor meum ſoror mea.* Cantic. 4. c. Cùm enim CHRISTUS, & MARIA unum eſſent per dilectionem, quia anima potius eſt ubi amat, quàm ubi animat, omnes anguſtiæ ac dolores, Chriſtum afficientes, matris etiam viſcera feriebant.

Secundus gladius, ut communiter Patrum ſententia tenet, fuit dolor & afflictio, quæ animam Virginis mirum in modum conficiebat; ac de hoc doloris gladio locutum fuiſſe Simeonem, D. Auguſt. ut nunc alios prætermittam Patres, *Epiſt. 19. ad Paulinum* teſtatur: Tribulationem igitur, inquit, gladii nomine ſignificatam eſſe credibile eſt, quo materna anima vulnerata eſt. Caſſius nomine gladii exiſtimat Simeonem comprehendiſſe omnes anguſtias, & dolores, quos Deipara Virgo unquam pertulit, ſcilicet omnes labores & afflictiones à Virginis partu, uſque ad Paſſionem ac mortem Chriſti toleratas, &c. quæ quamvis vera ſint, illum tamen dolorem & pœnam, quam juxta Crucem B. Virgo pertulit omnium fuiſſe ſupremam, ac propterea nomine gladii animam Virginis transfigentis aptè intelligi, docet D. Anſelmus loco mox citando inquiens: *Vere pertranſivit animam tuam gladius doloris, qui tibi amarior fuit omnibus doloribus cujusvis paſſionis corporeæ; quidquid enim crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum, leve fuit aut potius nihil comparatione tuæ paſſionis, quæ nimirum ſua immenſitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benigniſſimi cordis intima.* Hæc ille.

Hoc autem gladio ita cor Virginis fuit transfixum, ut niſi peculiari DEI auxilio fuiſſet ſuffulta, omnino extincta fuiſſet, ut expreſſè *lib. de excellentia B. Virginis cap. 5. de compaſſ. B. Mariæ pro Filio crucifixo,* his verbis tradit idem D. Anſelmus: *Non crediderim* (ait) *te potuiſſe ullo pacto, ſtimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, ſuſtinere, niſi ipſe ſpiritus vitæ, ſpiritus dulciſſimi Filii tui, pro quo moriente tantopere torquebaris, te conſortaret, te conſolaretur, te intus doceret, non eſſe mortem eam abſumentem, ſed magis triumphum omnia ei ſubjicientem, quod in ipſo fieri coram moribundo videbas.* Hactenus Anſelmus. Denique ut omnia uno abſolvam verbo, non enim noſtri eſt muneris nunc innumeros SS. Virginis acerbiſſimosque cruciatus, ac eorum cauſas recenſere; ſicut Chriſtus Dominus à Patre in Cruce fuit ita derelictus, ut nullum ſolatium ejus dolorem minuens ei impertierit; ſic & Virgo Mater tunc à DEO ita derelicta fuit, atque omni conſolatione immenſum mœrorem ejus temperante penitus fuit deſtituta; adeo ut neque à cœlo, neque à terra ullam haberet conſolationem.

His præmiſſis aſſertio noſtra probari poterit, iſta ecſtaſis, quam in beata Virgine conſtituimus, nullam omnino imperfectionem in ea admittit. Primò, quia quamvis ex vi pœnæ à ſenſibus externis fuerit abſtracta, interius tamen rationis uſu & exercitio non fuit orbata, imo iſta à ſenſibus abſtractio, quæ ex acerbitate pœnarum & cruciatuum ſequebatur, interiorem animi dolorem augebat potius, quàm diminuebat, nec rationis uſum abſorbebat, aut ullo modo extenuabat. Deinde, quia ſine ulla naturæ indignitate, aut imperfectione B. Virgo aliquando ad divinas theorias

cum

cum ſenſuum alienatione rapiebatur, ut ſuperius probavimus; quod ſi aliquando ex magnitudine & abundantia ſpiritualium delectationum à ſenſibus eripi potuit, cur non tantarum pœnarum magnitudine & acerbitate, quam in anima patiebatur, non poterat etiam extra ſe fieri, maximè quia ex hac ecſtaſi de qua loquimur, non fuerit ſubſecutus aliquis B. Virginis in terram collapſus, aut aliqua alia naturæ imperfectio, quare ſimul cum ecſtaſi his angoribus circumdata conſtans, & firma ſtabat juxta Crucem.

Secundò, quia hac ratione omnem ſpaſmi modum à DEIpara Virgine excludimus, ac modum ejus pœnarum valde convenientem præſcribimus.

Tertiò, quia Virginis cruciatus hoc modo explicatus eſt valde conformis his, quæ B. Virgo Tereſia, à DEO divinitùs edocta poſt aſſiduam harum pœnarum experientiam ſcripſit *loco ſupra citato*; nempe quòd iſtæ pœnæ enumerentur inter ſingulariſſimas DEI gratias. Deinde quòd ecſtaſim cauſare ſoleant. Demum quòd eas patientes mortis periculum ſubeant, quæ omnia Virgini in hoc acerrimo angore conſtitutæ conveniunt; nam illa pœna qua afficiebatur, erat quidem nobiliſſima, utpote pro tali ac tanta cauſa perpeſſa, atque à DEO ſingulariter SS. Virgini illata, ut ingenti merito in hac vita ornaretur, ac demum tanta fuit pœnarum & cruciatuum vis, ut doloris gladius non ſolùm animam pertranſiret, verùm etiam eam niſi divinitùs conſervata fuiſſet ac confortata penitus à corpore ſeparaſſet, ut optimè Divus Anſelmus *loco ſuperius adducto* affirmavit.

Quartò, quia tantorum Patrum Auctoritas nulla ratione videtur contemnenda, ſed potiùs piè, ac Catholicè veneranda atque interpretanda In primis D. Bernard. opuſc. de lamentatione Virginis ait: *Iuxta Crucem Chriſti ſtabat emortua mater, quæ ipſum ex Spiritu ſancto concepit. Vox illi non erat, quia dolore attrita jacens pallebat, quaſi mortua vivens, vivebat moriens, moriebatur vivens, nec mori poterat quæ vivens mortua erat.* D. Anſelmus Dialogo de Paſſione Domini in perſona Virginis ſic loquitur: *Cùm veniſſent ad locum Calvariæ ignominioſiſſimum, ubi canes & alia morticina projiciebantur, nudaverunt IESVM unicum filium meum totaliter veſtibus ſuis, & ego exanimis facta ſui.* D. Bonavent. *lib. Meditationum cap. 79.* his ſimilia profert: *Credo quòd propter anguſtiarum multitudinem abſorpta erat, & quaſi inſenſibilis, vel ſemimortua facta eſt, nunc quidem multò magis quàm cùm obviavit et Crucem portanti.* Et cap. 80. *Tunc mater ſemimortua cecidit inter brachia Magdalenæ.*

Quorum quidem verba in bonum, & pium ſenſum rectè poſſunt interpretari. In primis S. Bernardus inquit: *Vox illi non erat, quia dolore attrita jacens pallebat quaſi mortua vivens, &c.* quæ omnia ecſtaſim patientibus convenire videntur, voce carent, pallent, & quaſi mortui vivunt, quia ſopitis ſenſibus licet interius vivant, mortis imaginem exterius referunt; verba verò illa Anſelmi: *Exanimis facta ſuit*, ac D. Bonavent. *Abſorpta erat, & quaſi inſenſibilis, vel ſemimortua facta eſt*, nil aliud indicare videntur, quàm ecſtaſim & raptum, qui animam abſorptam, exanimem, & quaſi inſenſibilem quoad externos ſenſus reddunt; atque idem ſignificare videntur illa verba *ſemimortua*, quia ecſtaſis, ut Bernardus docet, mors eſt, quæ vitam non aufert, ſed commutat in melius.

Quod autem Patres ſignificare videntur B. Virginem præ nimio dolore in terram corruiſſe, probabilitate non caret; nam cùm hæc pœna corporis artus quaſi confringat, divellat, ac vires debilitet, non mirum ſi illa affectus, quamvis aliàs fortis collabatur. Hic verò collapſus non ab infirmitate, vel ab iſta divulſione, ac pulſuum alteratione tranſeunter ex acerbitate pœnæ cauſata provenire videtur, ſicut etiam à divino raptu ſimiles, aut quaſi ſimiles effectus cauſari in corpore ſolent, ut inferius diſputatione ſequenti dicemus.

Ex his denique infertur nullatenus eſſe à veritate alienum, quod in depingenda SS. Virginis imagine pictores conſueverunt, dum eam pallido vultu, à ſenſibus quaſi abſtractam, depingunt, hoc enim non eſt Virginem ſpaſmatam, ut vocant, ſed in ecſtaſim elevatam depingere.

Ex quo etiam colligo templum illud, quod Hieroſolymis, ut Cajetanus refert, Virginis ſpaſmo dicatum erat, fortan originem habuiſſe, non à Virginis ſpaſmo, ſed potius ab ecſtaſi, vulgi tamen ignorantia nomen ſpaſmi fuiſſe attributum.

DISPVTA-

# DISPUTATIO SECUNDA.

## De divini Raptus effectibus tam in anima quàm in corpore produci ſolitis.

Poſtquàm in ſuperioribus de natura, & diviſione raptus, ſubjecto atque cauſis raptum efficientibus diſſeruimus; reſtat, ut breviter, ac diſtinctè divini raptus effectus, quos tam in anima, quàm in corpore producere conſueverunt, perſtringamus.

### CAPUT I.

*An in Raptu reperiatur libertas.*

*Adducuntur argumenta affirmantem ſententiam probantia.*

PRo parte affirmativa ſunt non contemnenda argumenta. Primò arguit D. Thomas de *veritate, quæſt. 13. art. 1.* hac ratione; DEUS non eſt cauſa, quare ſit homo deterior, ut Auguſtinus docet *in lib. 83. quæſtionum*, ſed bonum hominis eſt ſecundùm rationem vivere, & voluntariè operari, ut patet per Dionyſ. *ſerm. 3. de divinis nominibus*, igitur in raptu non eſt concedenda elevatio violenta, quæ ab homine auferat libertatem. Secundò, quia beatiſſima Virgo habuit raptus divinos, & tamen liberè divina contemplabatur, imo etiam in ſomno merebatur, ut communis ſententia Theologorum docet. Tertiò, quia *Geneſ. 2.* ſopor primi parentis verè fuit ecſtaſis, in qua, ut Patres docent, illi tunc temporis facta fuit revelatio de myſterio Incarnationis, de quo tunc veram fidem accepit, igitur tunc habuit perfectum uſum rationis, ſine quo veram fidem tunc concipere nõ potuiſſet. & confirmatur ex Ruperto Abbate: Sopor, inquit, quem DEUS Adamo immiſit, non claudere vigilias rationis debuit, ſed obſeratis quinque ſenſibus corporis, ſenſum mentis liberum reliquit, ut ſcire poſſit quid erga ſe faceret omnium artifex ſapientia.

*Conſulend. noſt.* Dominicus à SS. Trinit. lib. 7. tomo 7. Biblioth. Theol. ſect. 6. c. 3. *qui luculenter de hoc diſſerit.*

Quartò probatur ex ſomno Salomonis 3. *Reg.* 3. & 2. *Paralyp. cap.* 1. ubi refertur DEUM apparuiſſe Salomoni per ſomnium, ac illi dixiſſe: *Poſtula quid vis, & dem tibi.* Salomonem autem petiiſſe ſapientiam, & placuiſſe petitionem Domino, & ideo illi promiſiſſe perfectam ſapientiam, cum aliis quamplurimis bonis. Ex qua narratione, & ex lõgo ſermone Salomonis ad DEUM conſtat illum habuiſſe perfectiſſimum diſcurſum & judicium cum conſideratione divinæ majeſtatis, & beneficiorum ejus, & propriæ infirmitatis ac neceſſitatis in illo regio ſtatu, in quo erat conſtitutus, & ex hoc perfecto diſcurſu ac judicio petitionem illam DEO propoſuiſſe, & ideo illi placuiſſe: ergo non obſtante ſomno corporis elevata fuit mens ejus, ut perfectam rerum apprehenſionem, & judicium habere poſſet.

*Anton. à Spiritu ſancto* Tract. 3. directorii myſtici diſp. 3. ſect. 11. *& Philip. à SS. Trinit. ab eo laudatus.*

Quintò, qui tollunt libertatem in raptu, apertè videntur incidere in errorem Montani hæretici, qui impiè aſſerebat in ſuis revelationibus ita rapi divinitùs, ut non eſſent ſui compotes, neque habuerint in ſua poteſtate divinæ revelationis uſum, quod idem eſt ac dicere, in divina contemplatione ita rapi intellectum, ut non ſit in poteſtate hominis cognitionem amovere, aut ab ea ceſſare.

Ultimò, quia *Actor. 10.* dicitur D. Petrum habuiſſe mentis exceſſum, in quo quidem liberè ſe geſſit; nam verè DEO reſpondit: *Nequaquam Domine, quia nunquam immundum manducavi,* demonſtrans, ſe velle legis mandata ad unguem ſervare, qui planè actus erat meritorius, ac proinde liberè à voluntate procedens.

*Duplex raptus ſive ecſtaſis cauſa & ſubjectum aſſignatur & exponitur.*

Pro majori hujus difficultatis declaratione primò advertendum eſt raptum ſive ecſtaſim ut D. Thom. docet 1. 2. *q.* 29. & 2. 2. *qu.* 175. *art.* 1 & 2. dupliciter poſſe contingere. *Primò* ſecundùm vim apprehenſivam, cùm ſcilicet homo ponitur extra cognitionem ſibi propriam & connaturalẽ, quod tunc contingit, cùm alienatus à ſenſibus, ad ſuperiora ſublimatur, ut comprehendat ea, quæ ſunt ſupra ſenſum, & rationem. *Secundò* provenire ſolet ecſtaſis à vi appetitiva; tũc enim dicitur aliquis ecſtaſim pati, cùm appetitus illius extra ſe quodã modo, vigore ſui impetus exiens, in alterum quaſi transformatur, & iſtam ecſtaſim propriè & directè cauſat amor intẽſus, illam verò tantùm diſpoſitive in quãtum ſcilicet facit meditari de re amata, nunc de ecſtaſi, quæ in vi apprehenſiva contingit differemus; de ea, quæ ex intenſione amoris unitivi, ſive fruitivi contingit acturi inferius.

*Duplex quoque in raptu intellectus elevatio explicatur.*

Secundò advertendum elevationem intellectꝰ, qua anima à ſenſibus abſtracta ad divina rapitur, dupliciter quoq; poſſe contingere; primo modo, quando intellectus elevatur ad contemplationem ſive cognitionem independentem à phantaſmatibus. 2. modo, quando ad contemplationem erigitur ſervato modo naturali cognoſcendi, cum converſione ad phantaſmata, ut ſæpe in raptibus contingere ſolet.

Tertiò adverto in hac quæſtione poſſe eſſe dubium non ſolùm de raptu in vigilia, quales freqẽter erant omnes raptus Prophetarum, ſed etiam de raptu in ſomnis contingenti, qualis fuit Salomonis, ac aliorum, quorũ ſomnus meritò appellatur ſomnus propheticus.

Quartò advertere oportet, in viſionibus in raptu contingentibus, ſæpiſſimè D. Thomam diſtinguere inter *acceptionem* & *judicium*. *Acceptio*, quæ alio nomine viſio, ſive contemplatio rei à DEO repræſentatæ vocatur, fit medio divino lumine elevante intellectum, & per ſimilitudines, ſive ſpecies, vel à DEO infuſas, vel ab ipſo taliter diſpoſitas, ut id aptè repræſentent, quod ille revelare decrevit. *Judicium* verò illud dicitur, quo intellectus repræſentatam ſibi viſionem diſcernit, ac ejus verum ſenſum percipit, & licet acceptio nobilis ſit, nobilius tamen eſt judicium, quo perficitur completurq; cognitio. Cùm igitur in raptu repræſentatur per ſimilitudines imaginarias divinum aliquid, tunc licet perfecta ſit acceptio, (quæ eo perfectior ac nobilior ſolet eſſe, quo anima abſtractior à ſenſibus invenitur) judicium tamen non poteſt eſſe perfectum in raptu, quia judicium in-

tellectus perfectum nequit eſſe, niſi per converſionem ad ſenſibilia, & hæc eſt conſtans, & paſſim reperta D. Thomæ doctrina.

*Sententia negans eligitur ac probatur.*

His præmiſſis, ſit prima aſſertio; in raptu, qui in ſomno prophetico evenire ſolet, minimè reperitur libertas. Hæc ſententia apertè eſt D. Auguſt. qui *libro 12. ſuper Geneſim ad litteram cap. 15.* ubi docet in ſomno Salomonis non fuiſſe libertatem, neque meritum, ſicut in ipſo ſomno naturali non inveniri libertatem, neque meritum, ſed tantùm judicari debere ex voluntate antecedenti; ita in ſomno prophetico Salomonis docet eſſe philoſophandum his verbis: *Verumtamen propter animi affectionem bonam, quæ deſiderio meliore mundata multas interficit cupiditates, quæ ad naturalis carnis motum non pertinent, quem caſti vigilantes cohibent & refrænant, dormientes autem ideo non poſſunt, quia non habent in poteſtate, quæ admoveatur expreſſio corporalis imaginis. Propter illam ergo affectionem animæ bonam etiam in ſomnis quædam ejus merita darent; nam etiam dormiens Salomon ſapientiam præpoſuit omnibus rebus, eamque neglectis cæteris eſt precatus à Domino. Et ſicut Scriptura teſtatur, placuit hoc coram Domino, nec diſtulit retributionem bonam pro deſiderio bono.* Hæc Auguſtinus. Quòd autem hæc fuerit expreſſa ſententia Auguſtini, clarè docet D. Thomas 2. 2. *quæſt. 154. art. 5. ad 1.* ubi ita inquit: *Ad primum dicendum, quòd Salomon non meruit in dormiendo ſapientiam à DEO, ſed fuit ſignum præcedentis deſiderij, propter quod dicitur talis petitio DEO placuiſſe, ut Auguſtinus dicit ſuper Geneſ. ad litteram.* Ita D. Thomas.

Idem docuerat *in 4. diſtinct. 9. quæſt. 1. artic. 4. quæſtiunc. 1. Ad primum dicendum,* inquit, *quòd ſecundùm Auguſtinum Salomonis petitio in ſomnis DEO placuit, & remunerationem meruit pro bono deſiderio prius habito, non quòd tunc in ſomno meruerit.* Hactenus D. Thomas.

Demum *quæſt. 28. de veritate ad 6. & 7.* eandem clarè, & apertis verbis ſententiam docuit. Ex mente igitur tam divi Thomæ, quàm S. Auguſtini in raptu divino in ſomnis contingente non invenitur libertas, neque meritum.

Hanc quoque ſententiam de omni ſomno prophetico evidenter docet D. Thomas multis in locis, affirmans in illo neque libertatem, ac ex conſequenti neque meritum inveniri. In primis 2. 2. *quæſt. 154. art. 5. ad 3.* his verbis: *Apprehenſio rationis non ita impeditur in ſomno, ſicut ejus judicium, quod perficitur per converſionem ad ſenſibilia, quæ ſunt prima principia cogitationis humanæ. Et ideo nihil prohibet hominem ſecundùm rationem apprehendere aliquid de novo in dormiendo, vel ex ipſis reliquiis præcedentium cogitationum, & phantaſmatibus oblatis, vel etiam ex revelatione divina, aut immiſſione Angeli boni vel mali.* Quo in loco hanc doctrinam, & diſtinctionem in revelationibus divinis, nempe judicii, & apprehenſionis, laudat, & commendat Cajetanus, & meritò, quia ex diſtinctionis hujus ignorantia in hac materia multos contingit errare.

Idem affirmat 1. 2. *quæſt. 113. art. 3. ad 2.* ubi agens de ſimilibus viſionibus Propheticis inquit: *Vnde in ſomno abſque completo motu liberi arbitrij poteſt intellectus dono ſapientiæ illuminari, ſicut etiam videmus quòd in dormiendo aliqua hominibus revelantur, ſicut dicitur Iob 33. quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplina.* Hactenus Divus Thomas. Quibus teſtimoniis luce clarius docet homines in ſomnis revelationes, & viſiones divinas accipere, eoque à DEO inſtrui, erudiri, & illuminari ſine completo uſu liberi arbitrii.

Idem ferè docuit *prima parte, quæſt. 12. art. 11.* ubi latiſſimè Cajetanus ex mente D. Thomæ explicat, qualiter in revelationibus divinis in ſomno, ſive in vigilia evenientibus non reperiatur rationis judicium, ſed tantùm apprehenſio. Quam diſtinctionem apertiſſimè ipſe Divus Thomas pluribus in locis explicavit *de veritate quæſt. 12. artic. 3. ad 1. & 2.* non minus expreſsè (latius tamen docuit) ad 1. ubi ſic ait: *In cognitione duo ſunt conſideranda ſcilicet receptio & judicium. De receptis, quantum ad judicium, potior eſt vigilantis cognitio, quia eſt liberum judicium, dormientis verò ligatum: ſed quantum ad receptionem cognitio dormientis eſt potior, quia quieſcentibus ſenſibus interiores impreſſiones magis recipiunt, ſive ſint ex ſubſtantiis ſeparatis, ſive ex corporibus cæleſtibus. Vnde ſic poteſt intelligi Numerorum 24. de Balaam, qui cadit ſcilicet dormiendo, & ſic aperiuntur oculi ejus.* Adhuc in *ſolutione ad 2.* (quaſi non expreſſiſſet ad 1.) in ſomno prophetico provenienti ex ſubſtantiis ſeparatis, aut ex DEO, ſicut fuit ſomnium Balaam, non inveniri perfectum judicium; conſequenter addit: *In ſomno igitur ligatis ſenſibus exterioribus interiores vires quaſi quietæ ab exteriorum ſenſuum tumultibus magis percipere poſſunt interiores impreſſiones factas in intellectu, & imaginatione, ex illuſtratione divina, vel Angelica, ſed quia primum principium noſtræ cognitionis eſt ſenſus, oportet quodammodo reſolvere omnia, de quibus judicamus. Et quia in ſomno ligati ſunt ſenſus, non poteſt eſſe perfectum judicium, niſi quantum ad aliquid, cùm homo decipiatur, intendens rerum ſimilitudinibus tanquam rebus ipſis.*

Idem repetit *de veritate quæſtione 28. articulo 3. ad 6. In ſomno,* ait, *poteſt intellectus converti ad DEVM, non autem liberum arbitrium, vel voluntas, cujus ratio eſt, quia ad intellectum duo pertinent, ſcilicet percipere, & judicare de perceptis. Intellectus autem in dormiendo non impeditur, quin aliquid percipiat, vel ex his, quæ prius conſideravit, unde quandoque homo dormiendo ſyllogizat, vel ex illuſtratione alicujus ſubſtantiæ ſuperioris, ad cujus perceptionem intellectus dormientis eſt habilior propter quietem ab actibus ſenſuum, & præcipuè phantaſmatibus quietatis. Vnde dicitur Iobi trigeſimo tertio, per ſomnium in viſione nocturna, quando ſopor ſolet occupare homines, & dormiunt in lectulo ſuo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplina:* Et ita eſt cauſa *præcipua, quare in ſomniis prævidentur futura, ſed perfectum judicium intellectus non poteſt eſſe in dormiendo, eo quòd tunc ligatus eſt ſenſus, qui eſt primum principium noſtræ cognitionis. Iudicium enim fit per reſolutionem in principia, unde de omnibus oportet nos judicare, ſecundùm id quod ſenſu accepimus, ut dicitur in 3. cæli, & mundi.* Idem colligitur ex ſolutione *ad 7. ibid.*

Hæc adeo eſt perpetua doctrina Divi Thomæ, ut nullibi ſuorum operum eam non attingat: quare præter loca ex *ſumma,* & *quæſtionibus diſputatis* adducta celebre eſt teſtimonium *in 4. diſtinct. 9. quæſtione 1. artic. 4. quæſtiuncul. 1. ad 2. Mens,* inquit, *humana habet duos reſpectus, unum ad ſuperiora, quibus illuſtratur, alium ad corpus à quo recipit, & quod regit. Ex parte illa, qua anima à ſupernis accipit per ſomnium, non ligatur,* imo

*imo magis libera redditur, quanto ſit à corporalibus curis magis abſoluta: & ideo ex influentia ſuperni luminis aliqua de futuris percipere poteſt dormiens, quæ vigilans ſcire non poteſt. Ex parte autem illa, qua à corpore recipit, oportet quòd ligetur quantum ad ultimum judicium, & completum ligatis ſenſibus, à quibus ejus cognitio initium ſumit. Quamvis etiam ejus imaginatio non ligetur, quæ in mente ſpecies rerum ei ſubminiſtrat.*

Ratio autem quare in ſomnis ligatis ſenſibus non poſſit reperiri perfectum judicium, eam aſſignat D. Thomas *de veritate quæſt.12. art.3. ad 2.* quia intellectus ubi decipitur, non verè diſcernens inter res, & rerum ſpecies, ſed potius rerum ſimilitudines pro ipſis rebus accipit, & ideo decipitur, ut expreſſius probat D. Thomas *prima parte quæſt.84. art.8.*

Unde ſuppoſita hac deceptione quæ ex defectu converſionis ad ſenſus exteriores in intellectu contingit, fit ut judicium rationis in omni ſomno ſemper ſit fallax, & ita in ſomnis quantumvis divinis errat intellectus, rerum imagines pro rebus ipſis judicans. Et quàmvis in ſomno homo diſcutiat, ſicut fecit Salomon, & ratiocinetur, & aliquando cogitet ſe ſomniare, & aliqualiter diſcernat inter res & ſpecies rerum, non tamen eſt perfectum judicium, ut optimè docet idem D. Thomas *1. part. quæſt.84. art.8.* quia experientia teſte adhuc ſemper ratio in aliquibus deficit & errat.

*Non reperitur libertas in omni raptu, qui naturali modo ſolet contingere, hoc eſt, per converſionem ad phantaſmata.*

Aſſertio ſecunda, non ſolùm in raptu prophetico in ſomnis eveniente, verùm etiam in omni raptu, qui naturali modo ſolet contingere, hoc eſt, per converſionem ad phantaſmata, non reperitur libertas. Hanc ſententiam tenent quamplurimi & graviſſimi Authores. D. Hieronymus eam expreſsè tradit in *Prologo in Habacuc Tomo 6.* ubi ſic loquitur: *Qui autem in ecſtaſi, id eſt, invitus loquitur, nec tacere, nec loqui in ſua poteſtate habet.* Et *in prologo in Nahum* Prophetam: *Non enim, ait, loquitur in ecſtaſi, ſed quod prophetat, liber eſt viſionis intelligentis univerſa quæ loquitur.* Idem affirmat *in prologo in Iſaiam.*

D. Bernardus apertè in hanc ſententiã inclinat, dum ſerm. 2. *Aſcenſionis in fine* ait: *Alij trahuntur, qui poſſunt dicere, trahe me poſt te. Alij ducuntur, qui dicunt, introduxit me Rex in cellaria ſua. Alij rapiuntur, ſicut Apoſtolus raptus eſt ad tertium cælum. Et primi quidem felices, ſecundi feliciores, tertij feliciſſimi, qui in profundiſſima DEI miſericordia quaſi quodammodo ſepulta jam arbitrij poteſtate in divitias gloriæ in ſpiritu ardoris rapiuntur.* Hactenus Bernardus. Qui etſi Pauli exemplum adferat, ipſe tamen ſenſit neminem in hac vita, nec ipſum etiam ſanctum Paulum DEUM vidiſſe, ut patet *ſerm.31. in Cant.* poſt initium; & idem Bernardus expreſſiu hoc inſinuat ad *Fratres de monte DEI* propè finem.

*Doctrina S. Bonavent. impensè obſervanda.*

D. Bonaventura *de proceſſ. Relig. proceſſ.7. cap. 18.* loquens de his viſionibus, aſſerit etiam non eſſe meritorias his verbis: *Quia etiamſi veræ ſint,* (loquitur enim de viſionibus divinis) *tamen per ſe meritoriæ non ſunt, & qui multa talia videt, non eſt melior, & qui nulla, non eſt minor, ſicut eſt de miraculis aliis.* Et in *cap.20.* agens de eiſdem viſionibus inquit: *Aliqui putant eſſe aliquid magni quod in ſe nullius eſt meriti.* Exiſtimat igitur D. Bonavent. in raptu tantùm eſſe meritum ex directione præcedenti. Idem expreſſius & latius *in lib. de 7. Itinerib. æternit. itinere 5. diſtinct. 5. & 6.* ubi probat raptum quem ipſe appellat *ſuperintellectualem* ſupra omnem cognitionem intellectus, tam rationis, quàm intelligentiæ contingere. Hancque puta eſſe mentem Divi Dionyſii, pro qua etiam ſententia adducit Abbatem Vercellenſem, & Linconienſem. Denique Patres ecſtaſim ſive raptum nunc appellant *mortem*. Bernardus *in Cantic. ſerm.52.* nunc *ebrietatem*, nunc *inſaniam*, ut videre eſt apud D. Bonaventuram *de proceſſ. Relig. cap. 14. & 15.* & Richardum *lib.4. de contemplat. cap. 16.* & ferè omnes myſticos.

*Raptus & ecſtaſis à PP. diverſis nominibus inſignitur.*

Ex Scholaſticis Doctoribus hanc docet ſententiam Cajetanus *quæſt.173. art.3.* ubi probat veros DEI Prophetas in raptu exiſtentes non prophetare, quod hac ratione confirmat: *Quia indecens eſt, ut illi quos DEVS docet, & illuminat ad Eccleſiæ ædificationem irrationabili motu ſe habeant ad propalandum divina myſteria.* Vbi per illa verba, *irrationabili motu* (ut ipſemet declarat) intelligit mentem à ſenſibus alienatam, quia tunc mens non utitur ratione. Idem Cajetanus *1. part. quæſt. 12. art.11.* probat ex doctrina D. Thomæ, in omni alienatione ſive raptu, tam in ſomnis, quàm in vigilia contingente, non reperiri judicium perfectum, quamvis reperiatur acceptio perfecta.

P. Medina *prima ſecundæ quæſtione 28. articulo 3.* ſic ait: *Ecſtaſis dicitur inſania, eò quòd à propoſito, & à libertate amoveat.* Dionyſius Carthuſianus *de laude vitæ ſolitariæ articulo 36.* ſic de hoc diſſerit. *Mens,* inquit, *nonnumquam abſque ſuo conatu, improviſè, repentè ad contemplationem hanc, & myſticæ Theologiæ intuitum, raptum & ecſtaſim elevatur, pietate DEI immenſa, per prævenientem, perſtringentemque gratiam miſericordiſſimè eam præveniente, ipſumque apicem affectivæ, & verticem intellectivæ potentiæ immediatè tangente, illuminante, & inflammante, tam validè, ut imbecillis creatura confeſtim, & quaſi inſtantaneè deſluat, & deficiat à ſe ipſa, & ſuper ſe mirabiliter, ac gratioſiſſimè transferatur, in tantum,* ut non queat, quamvis velit, reniti, ut puta libertate arbitrii jam quaſi ad horam ſuſpenſa atque ſopita.

## CAPVT II.

### *In quo rurſum noſtra ſententia auctoritate Divi Thomæ & ſancti Auguſtini comprobatur, ac propoſitis argumentis reſpondetur.*

Licet noſtra ſententia videatur luculenter ex SS. Auguſtino ac Doctore Angelico probata atque confirmata, non deſunt tamen nonnulli, qui eximios hos Eccleſiæ Doctores, contrariam tradidiſſe ſententiam acriter defendunt, ideo conſultum videtur, nonnullis aliis ipſorum adductis authoritatibus, ſententiam negantem communire ac confirmare. Et inprimis videtur manifeſtè S. Thom. ita ſentire *de veritate quæſt.13. art.1.* ubi agendo de violentia, quam raptus ex natura ſua importat, objicit ſibi hoc argumentum: *DEVS non eſt cauſa quare homo ſit deterior, ſed bonum hominis eſt vivere ſecundùm rationem, & voluntariè operari. Ergo cùm violentia ſit contraria voluntaria, & bonum rationis evacuet, videtur, quòd divinitus non fiat in homine aliqua violenta elevatio contra naturam.* Huic verò argumen-

mento reſpondet D. Thomas ſequentibus verbis: *Ad quintum dicendum, quòd opus hominis ex hoc quod habet bonitatem meriti exigit, quod ſit ſecundùm rationem, & voluntatem, ſed bonum quod ei confertur in raptu, non eſt hujusmodi, unde non oportet, quòd procedat ex voluntate humana, ſed ſola virtute divina.* Hæc ille.

Deinde D. Thomas agens de raptu in communi ſæpè docet in ipſo raptu non reperiri judiciũ (ſicut ſupra dictum eſt de eo, qui in ſomniis contingit, ſed tantùm inveniri acceptionem, ſive contemplationem divinorum, *de verit. quæſt. 13. artic. 3. ad 7. Intelligentia*, inquit, *noſtra, qua divina apprehendimus, quàmvis non commiſceatur ſenſibus per viam apprehenſionis, admiſcetur tamen eis per viam judicii.* Et ideo intelligentia à ſenſibus abſtrahi dicitur, quando de eis non judicat, ſed ſolis ſupernis inſpiciendis intendit. Non minùs expreſsè docet idem *ſecunda ſecundæ, quæſtione 173. art. 3.* ubi in corpore intendens probare, quod quando lumen divinum infunditur Prophetis, non ſit neceſſaria abſtractio à ſenſibus, hoc principio ab ipſo ſæpiſſimè repetito probat nempe. In nobis perfectum judicium intellectus habetur per converſionem ad ſenſibilia; quæ ſunt primæ noſtræ cognitionis principia: Et in *ſolutione ad 3.* ſic ait: *Quando mens Prophetæ ſuperiori influxu inclinatur ad judicandum, vel diſponendum aliquid circa ſenſibilia, non fit alienatio à ſenſibus, ſed ſolùm quando elevatur mens ad contemplandum aliqua ſublimiora.* Et in *ſolutione ad 2. quando mens Prophetæ intenditur in ſuo actu circa diſpoſitionem, vel judicium ſenſibilium, non oportet quod à ſenſibus abſtrahatur.*

Præterea quòd elevatio quæ in raptu contingit, quæ ad actum intellectus pertinet, non ſit actus humanus, videtur etiam colligi ex ipſo Divo Thoma 2. 2. *quæſt.* 175. *art.* 1. ubi requirit ad raptũ, quod non ſit ex propria intentione. Unde illum docet provenire à cauſis extrinſecis; ut à cauſa corporali, ſcilicet ægritudine, dæmone, aut virtute DEI, & hæc tertia cauſa ſolum habet locum in hac elevatione divina, de qua agimus, quare idem D. Thomas de veritate *ubi ſupra*, divinæ virtuti hunc motum attribuit.

Rationibus præterea probatur. Prima ſit, quotieſcunque voluntas non poteſt prohibere, ne intellectus conſideret aut cogitet de aliquo objecto, tunc neceſſitatur quoad exercitium ad illud, ut docet Divus Thomas *prima ſecundæ, quæſtione 10. articulo 2.* Sed in raptu hoc contingit, ideo in eo non reperitur libertas. Nec valet, ſi dicas, quòd D. Thomas ibi docet, voluntatem non neceſſitari in via quoad exercitium ab aliquo objecto, nam ibi loquitur ex parte objecti, non verò negat, quòd hoc non poſſit fieri ex parte principii moventis ſcilicet DEI, vel alicujus paſſionis, ut optimè docuit illo articulo Cajetan.

*Raptus ex ſua natura præ ſe fert violentiam vi cognoſcitivæ illata.*

Secund. confirmatur ex eo, quia raptus ex natura ſua præ ſe fert violentiam vi cognoſcitivæ, id eſt, ipſi rationi illatæ; hæc enim eſt, quæ ſecundùm D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 175. *art.* 1. & ſecundùm ipſam veritatem in raptu vim patitur: hæc autem vis in eo conſiſtit, ut uſus rationis, ſive perfectum, & liberum judicium impediatur propter ſenſuum alienationem, quia dum intellectus elevatur ad divina percipienda, hac abſtractione removetur à ſuo naturali, & libero modo operandi, qui eſt per converſionem ad prima principia, hoc eſt, ad ſenſus exteriores, & ob eam cauſam raptus divinus violentiam infert rationi, eam ligando, & neceſſitando ut non poſſit perfectum ferre judicium de rebus viſis, quod judicium perficitur per converſionem ad ſenſus tamquam ad prima principia, ut docuit D. Thomas *loco citato prima parte, quæſt. 84, art. 8. & 2. 2. quæſt. 173. art. 3.*

*Legend. noſt Philip. part.*

*2. Theolog. myſt. Tract. 3. diſcurſ. 4. art. 4. & Balthaſ. cõmentar. in cap. 4. manſionis 6. caſtelli animæ S. M. Tereſ. ſplend. 3.*

Hanc autem vim ſive violentiam à DEO in raptu rationi ſive vi cognoſcitivæ inferri egregiè docet D. Thomas 2. *Corinth.* 12. *lect.* 1. agens de eſſentia & natura raptus, in quo conſiſtat hæc violentia rationi illata his verbis diſertè declarat: *Sed ſciendum, quòd modus naturalis humanæ cognitionis eſt, ut cognoſcat ſimul per vim mentalem, quæ eſt intellectus, & corporalem, quæ eſt ſenſus. Et inde eſt, quòd homo nõ habet in cognoſcendo liberum judicium intellectus, niſi quando ſenſus fuerint in ſuo vigore verè diſpoſiti abſque aliquo ligationis impedimento; aliàs cùm impediuntur, etiam judicium intellectus impeditur, ſicut in dormientibus patet. Tunc ergo homo efficitur extra ſe, ſecundùm cognitivam, quando removetur ab hac naturali diſpoſitione cognitionis, quæ eſt, ut intellectus ab uſu ſenſuum, & ſenſibilium rerum abſtractus ad aliqua videnda moveatur. Quod quidem contingit dupliciter: uno modo per defectum virtutis undecumque talis defectus contingat, ſicut accidit in Phreneticis, & aliis mente captis. Et hæc quidem abſtractio à ſenſibus non eſt elevatio hominis, ſed potius depreſſio, quia virtus eorum debilitatur. Alio verò modo per divinam virtutem, & tunc propriè dicitur elevatio: quia cùm agens aſſimilet ſibi patiens, abſtractio quæ fit virtute divina, & eſt ſupra hominem, eſt aliquid altius, quàm ſit hominis natura. Et ideo raptus ſic acceptus definitur ſic: Raptus eſt ab eo, quod eſt ſecundùm naturam in id, quod eſt ſupra naturam, vi ſuperioris naturæ elevatio.* Divus igitur Thomas explicans definitionem raptus ejus violentiam conſtituit in hoc, quod ſenſuum alienatione intellectus liberum judicium amittat, ut patet in raptu proveniente à dæmone, vel ab aliis cauſis, nam quantum ad hoc omnes æquè rationis uſum liberum abſorbent.

*Definitio raptus à S. Thoma tradita.*

Expreſſius adhuc in quo ſita ſit hæc violentia, quam raptus infert ipſi rationi, declaravit dicta *quæſt. 175. articulo 2. ad 2.* docens conſiſtere in hoc quòd totaliter uſus rationis abſorbeatur: *Nam in hoc*, ait, *vera ratio raptus ſita eſt.*

*Objectio*

Quare ergo dicet aliquis, intellectus ex abſtractione à ſenſibus ligatur, ita ut non poſſit judicium rectum de rebus ferre, niſi ſenſibus exterioribus in ſuo vigore reſtitutis.

*Solutio*

Reſpond. ex mente Divi Thomæ 2. 2. *quæſtione 173. articulo 2.* in corp. & *de veritate, quæſt. 12. articulo 3. ad 2. & 1. parte quæſt. 84. art. 8.* defectum judicii, ut ſæpè diximus, ex ea radice in raptu provenire, quia intellectus omnino abſtractus à ſenſibus his ligatis, & conſopitis, ſive id in ſomno ſive in ecſtaſi contingat, rectè non poteſt judicare de rebus, quia judicium perfectum fit reſolvendo omnia, de quibus judicamus, ad ſenſus externos tamquam ad prima principia noſtræ cognitionis; unde infert D. Thomas *prima parte ubi ſupra*, eſſe impoſſibile ligatis ſenſibus perfectum judicium ferri de aliqua re. Præterea quia ſæpe in ecſtaſi intellectus decipitur, maximè, dum aſſumitur ad imaginariam viſionem, ex eo quòd neſciat tunc diſcernere inter res, & rerum ſimilitudines, rerum imagines pro ipſis rebus judicans.

tohà, ut D. Auguſt. *lib. 12. ſuper Geneſ. ad litteram cap. 14. & 15.* & D. Thomas ut ſupra docent.

Hæc autem violentia probatur experientiis, quibus conſtat ſpirituales perſonas hujuſmodi raptus pati invite, ſæpè enim DEUM vehementer precantur, ne ſimiles raptus pati eas ſinat, nec valent eis ullo modo reſiſtere, ut ſuperius *cap. 6.* diximus;

*Alia aſſignatur cauſa defectus judicii libertatisq́; in raptu reperti.*

Tertiò, poſſumus aliam etiam aſſignare cauſam defectus judicii & libertatis in raptu reperti, nempe vehemens animæ intentio ſive applicatio in aliqua operatione, ſive ſit in vi affectiva, ſive cognoſcitiva, ad cujus vehementem & intenſam applicationē ſequitur ſuſpenſio, aut debilitatio aliarum potentiarum in ſuis operationibus, ex hac enim cauſa potiſſimum provenire raptum tradit D. Thomas 2. 2. *quæſt. 173. art. 3.* ubi per contemplationis vehementiam D. Petrum raptum fuiſſe in cœnaculo affirmat, & *in ſolutione ad 2.* ait: *Quādo mens intendit in ſuo actu propter vehementiam intenſionis, ſequitur alienatio à ſenſibus.* Et de verit. q. 12. ar. 9. in corp. *Ex cauſa animali,* inquit, *alienatio procedit, ſicut quando homo ex nimia attentione ad intellectualia, vel imaginabilia abſtrahitur à ſenſibus.* & latius hanc raptus cauſam explicavit *q. 13. de veritate art. 3.* in corp. ubi agens de raptu, inquit: *Hoc eſt commune intellectui & aliis animæ potentiis, quòd quando una potentia in ſuo actu intenditur, alia vel debilitatur in ſuo actu, vel ex toto abſtrahitur: ſicut patet in illo, in quo operatio viſus fortiſſimè intendit, quod auditus ejus non percipit ea, quæ dicuntur, niſi fortè ſua vehementia ad ſe trahant ſenſum audientis; cujus ratio eſt, quia ad actum cujuslibet cognoſcitivæ potentiæ acquiritur intentio, ut probat Auguſtinus in lib. de Trinitate Intentio autem unius non poteſt ferri ad multa ſimul, niſi fortè illa multa hoc modo ſint ad invicē ordinata, ut accipiantur quaſi unum: ſicut nec alicujus motus, vel operationis poſſunt eſſe duo termini non ad invicem ordinati. Unde cùm ſit una anima, in qua omnes cognoſcitivæ potentiæ fundantur, unius & ejusdem intentio requiritur ad omnium potentiarum cognoſcitivarum actus; & ideo cùm totaliter anima intendat ad actum unius potentiæ, abſtrahitur homo ab actu alterius potentiæ.* Et hæc eſt alia ratio, quare in raptu reperiatur violentia, uſum rationis liberum abſorbens.

*Quomodo animæ potentiæ in raptu, & præſertim ecſtaſi abſorbeantur.*

Quartò probatur, quia in raptu, maximè in ecſtaſi, ita potentiæ interiores animæ abſorbentur, ut nulla ratione ſupra ſuas operationes anima tunc reflectere valeat, quod inferius *capite 5. hujus diſputationis* oſtendemus. Igitur non poterit eſſe, neque libertas, neque judicium perfectum.

Demum, quia Prophetæ tam in vigilia, quàm in ſomnis ad percipiendas veritates divinas rapiuntur, in ipſo raptu, quantumvis divinam viſionem percipiant, maximè ſi ſit imaginaria, intelligentiam tamen perfectam eorum quæ vident, non niſi transacta viſione ſive raptu percipiunt, & hoc eſt quod dicitur *Danielis decimo*, in viſione opus eſt intelligentiâ, quia non in ipſa viſione judicium, neque intelligentia Viris ſanctis, aut Prophetis concedi ſolet, niſi raró, & ex particulari gratia divinitùs illuſtrentur, ut *ſequenti capite* oſtendemus; niſi eo tempore quo anima ſenſibus eſt reſtituta, ea potiſſimum ratione, quia in viſione etiam prophetica, ut cœpimus dicere, mens Prophetæ decipitur, ſimilitudines rerum pro ipſis rebus accipiens, ut ex Divo Auguſtino, & Divo Thoma nuper retulimus, quod duplici exemplo licet demonſtrare. Primò, nam Salomon in ipſo ſomno deceptus eſt putans ſe vigilare, cùm tamen tempore dormiret, ut dicitur 3. *Regum, 3. cap. Igitur evigilavit Salomon, & intellexit quòd eſſet ſomnium.* Ergo ante vigiliam putabat ſe non ſomniare, neque dormire, & ideo decipiebatur, ut rectè advertit Lyranus.

Secundò, Convincitur exemplo D. Petri, qui cùm in vaſe ſeu linteo animalia illa immunda in viſione imaginaria ſibi oblata conſpiceret, exiſtimavit, tunc illas non animalium ſimilitudines eſſe, ſed animalia vera, & realiter exiſtentia, neque viſionis intelligentiam, niſi peracta viſione accepit; quod ſine manifeſto errore non poteſt negari; id enim docet Scriptura ſacra *Actorum* 10. his verbis: *Et dum intra ſe hæſitaret Petrus, quidnam eſſet viſio, quam vidiſſet, ecce viri qui miſſi,* &c. Ex his, & ex ſequentibus verbis pluſquam certò colligitur D. Petrum ſenſum viſionis in ipſa exiſtentem viſione non cognoviſſe, quod ibi annotavit Gloſſa, & Auguſtinus, *ubi ſupra*, & idem evidenter colligitur *Actorum duodecimo*, ubi Petrus ad ſe reverſus dixit: *Nunc ſcio verè, quia miſit Deus Angelum ſuum,* &c. Nam in illa viſione paſſus eſt Petrus mentis exceſſum; ut optimè notavit Richardus *lib. 5. de contemplatione capite* 8. Beda quoque & Gloſſa interlinearis, *Neque enim D. Petrus ad ſe reverſus diceretur, niſi extra ſe à DEO fuiſſet poſitus*, qua igitur ratione D. Petrus in viſione maximè immundorum animalium ſimilitudinibus deceptus, putans eſſe vera animalia, rectum judicium, aut libertatem habere potuiſſet? Unde D. Auguſtinus cap. 14. *ubi ſupra. An aliquid,* inquit, *obfuit D. Petro cùm in illa ecſtaſi reſpondit: Nequaquam Domine, quia nunquam manducavi omne commune & immundum, putans ea quæ in diſco ſibi demonſtrabantur, vera animalia?* Quaſi dicat Auguſtinus, Petro culpæ non fuiſſe imputandum, quòd recuſaret immunda animalia manducare, quia tunc non erat ſui compos, cùm non poſſet habere perfectum judicium de his, quæ videbat, decipiebatur enim apertè, accipiens rerum imagines pro rebus ipſis. Demum D. Auguſtinus *cap. 25.* concludit: *In viſione autem ſpirituali, id eſt, in corporis ſimilitudinibus, quæ ſpiritu videntur, fallitur anima, cùm ea, quæ ſic videt, ipſa corpora eſſe arbitratur.*

*In quibus raptibus ſoleat reperiri uſus rationis ac libertatis.*

Aſſertio tertia, quando intellectus in actu elevatur ad divina intuenda, independenter à ſenſibus internis, & externis, tunc contemplatio ſive elevatio intellectus contingit cum perfecto uſu rationis. Probatur primò, quia cùm iſta ſit altiſſima cognitio, quæ in via de DEO haberi poteſt magis participat de perfectione intelligentiæ Angelicæ, ut diſputatione præcedenti agentes de intellectione abſque ulla converſione ad phantaſmata annotavimus, non mirum, ſi Angelorum more contingat. 2. Quia in hac cognitione nulla eſt dependentia judicii intellectus à ſenſibus, cùm ſit merè intellectualis, & fiat per ſpecies intelligibiles à DEO infuſas, quæ minimè à ſenſibus depēdent, neque in eſſe, neque in fieri. Unde ad perfectionem hujus cognitionis parum refert intellectum eſſe abductum à ſenſibus, aut quod homo vigilet, aut dormiat. Quod confirmari poteſt exemplo animæ Chriſti Domini, operantis per ſcientiam infuſam, quam etiam Beatiſſimæ Virgini fuiſſe communicatam pie credimus, quæ etiam in ſomno merebatur, atque etiam

in elevationibus divinis, quibus in DEUM ferebatur ſupernaturali, ac divino, libero tamen & humano modo. Similem quoque, ut D. Thom. *qu.* 13. *de verit. art.* 2. *ad* 9. habuiſſe cognitionem licet non per ſe infuſam Adamum in ſopore à DEO illi immiſſo *Gen.* 2, quem etiam ſoporem fuiſſe cum perfecta cognitione & intelligentia myſteriorum divinorum non obſcurè affirmat idem D. Thom. 3. *part. qu.* 1. *art.* 3. *ad* 5. & 2. 2. *qu.* 2. *art.* 7. ac prædictum modum puræ contemplationis intellectualis interdum etiam communicari aliis Sanctis, cum perfecta intelligentia & judicio, circa ea, quæ revelantur. Sentit idem D. Thomas *loco citato de veritate.*

Propoſitis in initio pro parte affirmativa argumentis reſpond. ſolutione allata à D. Thoma *eodem loco de veritate*, his verbis: *Ad quintum dicendum, quòd opus hominis ex hoc quod habet bonitatem meriti, exigit quòd ſit ſecundùm rationem, & voluntatem; ſed bonum quod ei confertur in raptu non eſt hujusmodi, unde non oportet, quòd procedat ex voluntate humana, ſed ſola virtute divina.* Hæc ille.

Reſpondeo ſecundo, quòd Paulus cùm raptus fuit ad viſionem divinæ eſſentiæ, cùm ille raptus eſſet nobiliſſimus omnium, caruit merito ex duplici principio. Primò ex objecto divinæ viſionis. 2. ex parte alienationis à ſenſibus, quare mirari non debemus, ſi in actu contemplationis heroico, qualis eſt, cùm mens ad divina rapitur, libertas aut meritum non inveniatur; non enim divina gratia ordinem & modum operandi homini innatum deſtruere, aut invertere intendit. Cùm autem homini ſit connaturale judicare de rebus in ordine ad ſenſus externos, alienatus, & abſtractus ab his ſine novo miraculo non poteſt libere judicare, aut operari. Præterea conſtat in illuſtrationibus, & inſpirationibus divinis, quibus anima ad bene operandum excitatur, neque meritum neque libertatem inveniri; tamen ſunt principium non ſolùm meriti, ſed omnium noſtrarum bonarum actionum ſupernaturalium, & idem etiam affirmare merito poſſumus de viſionibus, & apparitionibus divinis, quæ per ſe quidem meritoriæ non ſunt, relinquunt tamen in anima uberrima, tam meriti, quàm aliarum heroicarum operationum ſemina, ut plenius diſſeremus infra cap. 5.

*Declaratur, quomodo ſæpè in raptu maximũ meritum reperiatur.*

Deinde, quia etſi in ipſo raptu pro tunc rationis uſus ita debilitetur, ut non poſſit liberè de rebus viſis judicare, ac ex conſequenti, nec mereri, tamen tranſacto raptu ex illuſtratione, & viſitatione divina, quam mens ibi plenè deguſtavit, manet promptior & habilior, & ad divina penitius capienda, & ad ampliſſima merita per virtutum actus, aliasque ſpirituales functiones comparanda. Demum in ipſo raptu virtute præcedentis contemplationis (ut in ſomno Salomonis ſuperius ex mente D. Auguſtini, & D. Thomæ retulimus) adhuc poteſt meritum reperiri, imo & maximum pleniſſimumque meritum, quàmvis abſorptus ſit pro tunc uſus rationis, ſicut enim in delectationibus corporalibus, quanto delectationes ſunt majores, tanto magis impediunt rationis uſum. Unde Ariſtotele teſte 7. *Ethic. cap.* 11. in delectationibus venereis, cùm maximæ ſunt, impoſſibile eſt aliquid intelligere, quia ut docet Divus Thomas 1. 2. *quæſt.* 33. *art.* 3. *in corp.* & *quæſt.* 34. *art.* 1. *ad* 1. abſorbent uſum rationis, quemadmodum igitur in ipſo actu illius ingentis delectationis uſum rationis abſorbentis, non poteſt eſſe peccatum propter defectum libertatis, tamen virtute præcedentis voluntatis illam inordinatam delectationem amplectentis, quo major fuerit delectatio, major invenitur culpa, ita in raptu, quamvis meritum tempore quo ratio eſt abſorpta, intrinſecè non inveniatur, virtute tamen actuum præcedentium, amoris, fidei, ſpei, gratiarum actionis, & ſimilium, qui in oratione antequam mens ad divina rapiatur, frequentiſſimè exerceri ſolent, poteſt eſſe maximum meritum. Imo & aliquando in ipſo actu poſſe etiam inveniri perfectum judicium, perfectumque meritum *capite ſequenti* oſtendemus.

Tertio argumento reſpond. in illo mirabili Adami ſopore fuiſſe perfectum judicium, ac libertatem, quia cognitio illa ecſtatica fuit ſine ulla converſione ad phantaſmata ut in tertia Aſſertione retulimus,

Ad quartum reſpond. Primò Salomonem minimè meruiſſe in illo ſomno prophetico, ut ex D. Auguſt. & D. Thom. ſupra demonſtravimus.

Secundò reſpond. in illo Salomonis ſomno potuiſſe inveniri perfectum judicium, ac ex conſequenti meritum, quia forſan Salomonis mens divinitus fuit illuſtrata, ut agnoſceret quid loquebatur, cum quo loquebatur; & quæ eſſent à DEO poſtulanda.

Ad quintum reſpond. longè alium fuiſſe Montani ſenſum; hic enim teſte Epiphanio *hereſi* 48. aſſerebat Prophetas non intelligere ea quæ videbant, vel loquebantur, ſed loqui ut inſani & amentes, quæ quidem manifeſta eſt inſania, ut plenius oſtendemus *quæſt.* 173. *art.* 7.

Ad ultimum argumentum reſp. nequaquam D. Petrum habuiſſe perfectum judicium aut libertatem in illo mentis exceſſu, ut manifeſtè ex D. Auguſtino ſuperius demonſtravimus.

## CAPVT III.

*Ex ſpeciali divinoque privilegio, nonnumquam in raptu perfectam libertatem ac meritum reperiri.*

Licet in raptu frequentius, ut capite præcedenti demonſtravimus, perfectum adſit de rebus viſis judicium, ac proinde nec meritum, poteſt tamen, ac nonnumquam contingit in divinis exceſſibus, libertatem omnimodum perfectumque judicium, copioſumque meritum adeſſe. Quod tunc contingere poteſt, quando divina revelatione accedente illuſtrantur à DEO Prophetarum aliorumque perfectiſſimorum virorum mentes, ut cognoſcant imagines in raptu ſibi objectas, non eſſe ipſas res, ſed ſimilitudines potius & ſpecies earum. Nam ſicut defectus judicii & libertatis in raptu ex eo oriri principio, ut *capite præcedenti* docebamus, quòd intellectus eſſet deceptus, accipiens ſimilitudines rerum pro ipſis rebus, manifeſtè conſequitur, quod ſi divina accedat illuſtratio, qua Propheta dum eſſet alienatus à ſenſibus edoceatur non illas eſſe veras res, quæ ei objiciuntur, ſed tantùm ipſarum rerum ſimilitudines, & imagines, quod tunc verè ceſſat deceptio, ſolviturque ratio ſupernaturali lumine illuſtrata, ut poſſit ferre perfectum judicium de rebus viſis. Hoc tamen rarius contingit, eſtque ſingulare privilegium pauciſſimis conceſſum, nempe ut ſimul cum viſione imaginaria eorum mentes divinitus illuſtrentur, ut veram viſionis intelligentiam

*Declaratur quomodo in raptu inveniri queat perfectum judicium, libertas ac meritum.*

in

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

in ipſo raptu percipiant, nullaque ratione imaginibus decipiantur.

Hanc noſtram ſententiam docet Auguſtinus *Epiſt.* 102. *ad Evodium* prope finem. *Sunt viſiones*, inquit, *quæ apparent ſpiritui tamquam corporis ſenſibus non ſolùm dormientibus, vel furentibus, ſed aliquando ſanæ mentis vigilantibus, non per fallaciam illudentium dæmonum, ſed per aliquam revelationem ſpiritualem, quæ fit per formas incorporeas corporibus ſimiles, quæ diſcerni omnino non poſſunt, niſi divino adjutorio plenius revelentur, & mentis intelligentia dijudicentur, vix aliquando cùm fierent, ſed plerumque poſtea cùm tranſierint.* Quare idem Auguſtinus aſſerit *ſuper Geneſim ad litteram cap.* 26. magnam eſſe revelationem, divoque Joanni Evangeliſtæ conceſſam, quando mens in raptu hac ratione à deo illuſtratur, ubi ita ſcribit: *Ibi etiamſi videantur futura, ita ut omnino futura noſcantur, quorum imagines præſentes videntur, ſive ipſa hominis mente divinitus adjuta, ſive aliquando inter ipſa viſa quid ſignificent exponente, ſicut in Apocalypſi Ioannis exponebatur; magna revelatio eſt, etiamſi fortè ignoret ille, cui hæc demonſtrantur, utrum ex corpore exivit, an adhuc ſit in corpore, ſed ſpiritu à ſenſibus corporis alienato iſta videat: poteſt enim ſic raptus id ignorare, ſi ei & hoc non oſtendatur.*

Sententiam Auguſtini amplectitur D. Thomas *de veritate quæſt.* 12. *art.* 9. *in corp.* his verbis: *In hoc tamen Propheta differt in ſua abſtractione à ſenſibus, ſive abſtrahatur per ſomnium, ſive per viſionem ab omnibus aliis, qui abſtrahuntur à ſenſibus, quod mens Prophetæ illuſtratur de his, quæ in viſione imaginaria videntur, quando cognoſcit ea non eſſe res, ſed aliqualiter rerum ſimilitudines, de quibus certum judicium habet per lumen mentis.* Idem & hoc expreſſius tradit *prima parte, quæſt.* 111. *art.* 3. *ad* 4. ubi hoc argumentum proponit: *In viſione imaginaria homo adhæret ſimilitudinibus rerum, quaſi ipſis rebus, ſed in hoc eſt quædam deceptio, cùm ergo Angelus bonus non poſſit eſſe cauſa deceptionis, videtur quòd non poſſit cauſare viſionem imaginariam imaginationem immutando.* Huic autem argumento his verbis reſpondet: *Angelus cauſans aliquam imaginariam viſionem, quandoque ſimul intellectum illuminat, ut cognoſcat quid per hujuſmodi ſimilitudines ſignificetur, & tunc nulla eſt deceptio: quandoque verò per operationem Angeli ſolummodo ſimilitudines rerum apparent in imaginatione, nec tamen tunc cauſatur deceptio ab Angelo; ſed ex defectu intellectus ejus cui talia apparent: ſicut nec Chriſtus fuit cauſa deceptionis in hoc, quod multis turbis in parabolis propoſuit, quod non expoſuit eis.*

Ex quibus manifeſtè infertur, ex D. Auguſtini & D. Thomæ mente, in raptu etiam divino, maximè quando mens Prophetæ rapitur ad viſionem imaginariam, decipi ſimilitudines rerum pro ipſis rebus accipiendo, ac judicando, proindeque tunc non poſſe habere perfectum judicium, neque libertatem. Docent tamen ex duplici capite poſſe in his viſionibus inveniri perfectum judicium. Primò ſi divinitus mens adjuvetur, id eſt, à DEO illuſtretur, ut cognoſcat eas, quas videt ſpecies rerum non eſſe ipſas res, ſed earum potius ſimilitudines, quo lumine Prophetæ mens illuſtrata jam rectè incipit judicare de rebus acceptis, quia perfectè cognoſcit, ac judicat res ipſas, ut ſunt, & non ut apparent in ſuis ſimilitudinibus, & ita omnino ceſſat dicta deceptio.

Secundò. Præterea mens Prophetæ *ab aliquo* inſtruitur quid ſignificent illæ ſimilitudines, quas vidit; ſicut in Apocalypſi Joannis contigit; ei enim ab Angelo exponebatur, quid viſa illa ſignificarent, & hoc, *inquit* D. *Auguſtinus ubi ſupra.* Magna revelatio eſt etiamſi fortè ignoret ille, cui hæc demonſtrantur, utrum ex corpore exierit, an adhuc ſit in corpore, ſed ſpiritu à ſenſibus corporis alienato iſta videat, poteſt enim ſic raptus id ignorare, ſi ei & hoc non oſtendatur.

*Objectio.*

Sed dices qua ratione in raptu intellectuali, quando quis rapitur ad viſionem intellectualem, poterit eſſe libertas? cùm in hoc raptu, ut nunc ſupponimus, deceptio non inveniatur, cum contemplatio in eo fiat non per ſimilitudines & ſpecies imaginarias, ſed potius per ſpecies intelligibiles, quæ res ipſas repræſentant ſicuti ſunt.

*Solutio.*

*In raptu intellectuali duplici ex cauſa poteſt adeſſe perfectum judicium, & libertas.*

Reſpond. In raptu intellectuali poſſe inveniri etiam perfectum judicium ex duplici capite. 1. Si in raptu intellectuali infundantur ſpecies intelligibiles, quia tunc, ut *ſuperiori capite* annotavimus, non intelligit omnia per converſionem ad phantaſmata, ac præterea per illas ſpecies intellectus clarè illuminatur de his, quæ videt, ac perfectè judicat, & diſcernit ea omnia, quæ contemplatur; ſi verò in raptu iſto intellectuali inveniatur aliquo modo converſio ad phantaſmata, ut apertè colligitur ex D. Thoma *quæſt.* 174. Tunc poteſt eſſe libertas, ſi potentiæ, quæ ita abſorptæ & immerſæ ſunt in ſuis operationibus propter vehementem actuationem circa objectum, ut vix poſſint reflectere ſupra illas: quare ſi à DEO ſolvantur, & divinitus expediantur potentiæ, ut poſſint ſupra ſe, ſuasque operationes reflectere, & advertere ubi ſunt, atque objecta circa quæ verſantur, tunc etiamſi à ſenſibus ſint abſtractæ, poſſunt habere perfectum judicium, ut mox *cap. ſequenti* latius exponemus.

# CAPVT IV.

## *An actus amoris in raptu ſive ecſtaſi ſit liber.*

DUobus præcedentibus capitibus ſermonem fecimus de actu intellectus in raptu interveniente, an in eo reperiatur perfectum judicium, ac ex conſequenti libertas in illa elevatione, ſive contemplatione intellectus, nunc in hoc capite prætermiſſa iſta intellectus operatione, quærimus de amore, qui in raptu, vel ecſtaſi reperitur, an inquam ſtante illa neceſſitate intellectus, de qua in ſuperioribus egimus, poſſit eſſe libertas in actu voluntatis, & quamvis nobis videatur nullam in ea re eſſe difficultatem, tamen quia non deſunt Viri graves contrariam ſententiam tenentes, placuit hic ſpecialem de hoc quæſtionem adjungere.

*Sententia affirmans ejusque fundamenta.*

*Vid. Cōmentar. noſt. Balthaſ. in cap. 4. manſ. 6. Caſtelli animæ 8.*

Qui contrariam ſententiam docent, probare eam contendunt argumentis in principio *primi capitis* adductis, qualia ſunt de ſopore Adami, de ſomno Salomonis, de viſione Petri *Act.* 10. quando vidit linteum deſcendens de cœlo, &c. Rationibus etiam confirmant. Primò, quia nihil eſt in hujuſmodi ecſtaſi quod neceſſitet voluntatem, non DEUS tamquam cauſa efficiens illius motionis, quia divina gratia non deſtruit naturam, ſed potius perficit: At libertas in hoc actu voluntatis pertinet ad perfectionem viæ, & eſt neceſſaria ut actus ſit meritorius; non eſt autem veriſimile DEUM privare hominem juſtum, cùm eum elevat ad tam eximiam contemplationem, hac perfectio-

fectione & fructu, qui in hac vita maximè expetendus eſt. Præterea neque DEUS neceſſitat, ut objectum cognitum, ut conſtat, quia hoc tantùm contingit in viſione beata.

Secunda Ratio, quia licet ille actus intellectus ſit neceſſarius, non infert neceſſitatem in actu voluntatis, quia ſunt potentiæ natura ſua habentes diverſum modum operandi, & ideo neceſſitas in actu intellectus non tollit per ſe loquendo libertatem in actu voluntatis, neque impetus intellectus, ſive applicatio illa violenta intellectus ſecum rapit ex neceſſitate voluntatem, quia ſemper illa eſt domina ſui actus, quando aliàs objectum cum ſufficienti attentione & animadverſione proponitur.

Tertiò, Quia abſtractio à ſenſibus parum refert ad tollendam libertatem, quia illa non perturbat mentem, neque cognitionem, ſed potius ex perfectione ipſius procedit per quandam quietem, & placidum otium ſenſuum, quod quidem animam pacatiſſimam reddit ad liberè amandum DEUM.

Ultima ratio, quia ut D. Thomas docet *hujus quæſt. art. 2.* ſæpè vehemens illa ſuſpenſio mentis ex amore reſultat, ille autem amor, ut antecedit tam vehementem applicationem intellectus liber eſt, quia in illo priori nondum intelligitur ecſtaſis conſumata, ergò etiam poſt applicationem intellectus etiamſi à ſenſibus ſit alienatus, manet voluntas libera quoad illum actum, quia illa applicatio vehemens intellectus, nullam vim intulit voluntati, nec oſtendit in objecto novam rationem neceſſitantem. Igitur ille actus amoris ſemper eſt liber quoad exercitium.

*Sententia negans in raptu ſive ecſtaſi voluntatis actus eſſe liberos amplectenda videtur.*

Negativa verò ſententia, nempe quòd in raptu ſive ecſtaſi, voluntatis actus nullam poſſit habere libertatem, clarè conſtat ex his, quæ ſupra diximus *cap. 1.* Quia dum aſſerimus in raptu libertatem non reperiri, quia tunc judicium intellectus non eſt perfectum, ex conſequenti manifeſtè ſequitur, voluntatis amorem, ſi quis eſt in raptu, non eſſe liberum: Dix *ſi quis eſt in raptu*; quia in raptu ſæpè voluntas nil operatur, non enim raró Prophetis multa in raptu fuerunt divinitus revelata, vel quæ futura erant, vel quæ ad aliorum inſtructionem pertinebant, quæ nulla ratione cócernebant Prophetarum voluntatem, neque opus erat, ut Prophetæ amarent, vel reſpuerent ea, quæ eis à DEO proponebantur.

Præterea, quia quando Patres, aliique graviſſimi Authores docent ut *cap. 1.* retulimus, in raptu non eſſe libertatem, expreſsè loquuntur, tam de libertate intellectus, quàm voluntatis, ac liberum arbitrium eſſe conſopitum, vel quid ſimile, aut æquivalens docent.

Prætermiſſis verò aliis rationibus ibi à nobis adductis, quarum ſingulæ efficaciter probant noſtram Aſſertionem, eam tantùm adducemus, qua ſæpiſſimè utitur D. Thomas in hoc propoſito, quia libertas voluntatis naſcitur ex indifferentia judicii; ſed in raptu, intellectus caret iſta indifferentia; imo eſt neceſſitatus ad unum: ergo. & confirmatur, quia in illo ſtatu non poteſt eſſe plenum judicium neceſſarium ad libertatem voluntatis, nam ut ex ſuperioribus conſtat, perfectum judicium nequit inveniri, quando anima eſt à ſenſibus alienata, quam eſſe perpetuam, & conſtantem D. Thomæ doctrinam probavimus ſupra *cap. 1.* eam tenet apertè *1. parte, quæſt. 12. art. 11.* & *quæſt. 84. art. 8. 2. 2. quæſt. 154. art. 5. ad 3.* & 173. *art. 3.* & latius *de veritate quæſt. 12. art. 3. ad 1. & 2.* & *quæſt. 28. art. 3. ad 6.* & in *4. diſtinct. 9. quæſt. 1. art. 4. quæſtione prima ad 2.* in quibus locis apertè docet, in raptu ſive ecſtaſi libertatem non inveniri, quia non invenitur perfectum judicium intellectus, quia judicium intellectus fit per reſolutionem ad ſenſus externos, quare ligatis ſenſibus, qui ſunt prima principia noſtræ cognitionis, non poteſt intellectus habere perfectum judicium de rebus.

Nec valet ſolutio eorum, qui dicunt illam doctrinam procedere, quando ſenſus ligantur per corporalem ſomnum, & vapores corporeos, non tamen quando ligantur per animæ ſuſpenſionem & elevationem, quia apertè eſt ſolutio contra D. Thomam, qui abſolutè docet, ſive id fiat in ſomno, ſive vigilia ligatis ſenſibus impediri Judicium perfectum intellectus, ex quo colligit eſſe impoſſibile in nobis inveniri plenum judicium à ſenſibus abſtractum. Unde inquit *1. part. quæſt. 84. art. 8. in corp. Impoſſibile eſt, quod ſit in nobis judicium intellectus perfectum cum ligamento ſenſus, per quem res ſenſibiles cognoſcimus.* Et ibi Cajetanus apertè ſentit cum D. Thoma.

Deinde quia D. Thomas, ſi attentè legatur, agit de viſionibus, & revelationibus divinis tam in ſomno, quàm in vigilia contingentibus, & utrobique docet non inveniri perfectum judicium, quia anima eſt à ſenſibus alienata. Igitur ſiniſtra eſt D. Thomæ interpretatio aſſerentium S. Thomam tantum loqui, quando ſenſus ligantur in ſomno corporali.

Demum, quia D. Auguſtinus æquè judicat de revelationibus in ſomno, atque in vigilia cum alienatione ſenſuum acceptis, ut *prædicto cap. 1.* annotavimus, quare recedendum non eſt ab illa communi Theologorum ſententia, nempe quòd in raptu duo ſunt conſideranda, ſcilicet receptio, & judicium. Receptio ligatis ſenſibus perfectior eſt & ſublimior; Judicium verò in alienatione ſenſuum non invenitur, ſed potius per converſionem ad ipſos ſenſus.

*Duplex raptus ſive ecſtaſis modus exponitur.*

Secundò dicendum exiſtimo raptum ſive ecſtaſim eſſe in duplici differentia; aut enim contingit ex propria intentione, cùm quis v. g. incumbens ſobria mente contemplationi divinius rapitur extra ſenſos; vel cùm quis ex vehementia amoris paulatim incidit in ecſtaſim.

Poteſt alio modo contingere raptus, aut ecſtaſis divina, cùm repentè ac inopinatè ſine ulla prævia diſpoſitione intellectus divina luce perfuſus ad ſuperna elevatur, vel cùm voluntas divino amore vulnerata in DEUM à ſenſibus alienata rapitur, & abſorbetur. Si priori modo loquamur, tam in raptu, quàm in ecſtaſi ex propria intentione contingentibus, poteſt eſſe libertas & perfectum judicium, quia tam in contemplatione, quàm in amore ante alienationem à ſenſibus (hoc eſt, antequam raptus conſumetur) eſt perfectum judicium intellectus, neque eſt ulla neceſſitas in amore, aut contemplatione, imo poteſt eſſe idem actus amoris & contemplationis ante raptum, & poſt raptum, quamvis aliquantulum ſit intenſior poſt raptum. Cùm igitur ſit idem numero actus, ſi antea erat liber, etiam manebit cum eadem libertate adveniente ſenſuum abductione. Quando verò inopinatis exceſſibus quis ad divina elevatur, ſive id fiat ex vehementia lucis in intellectu, ſive ex vehementia amoris in voluntate, tunc nulla eſt libertas, tam in actu intellectus, quàm volun-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

luntatis propter rationes dictas in primo, & in hoc capite.

*Reſpondetur argumentis pro contraria ſententia adductis.*

Ad argumenta reſpond. ad primum plenè reſponſum eſt in *primo cap.*

Ad ſecundam rationem dicimus, tunc voluntatem neceſſitari ex multiplici capite, ut ſuperius inſinuavimus 1. *cap.* maximè ex alienatione à ſenſibus, in qua non poteſt eſſe perfectum judicium in intellectu, neque libertas in voluntate.

Ad tertiam & quartam rationem eodem modo reſpondetur.

Ad quintam & ultimam rationem reſp. quòd quando actus amoris præcedit raptum ſive eceſtaſim, tunc concedimus etiam accedente raptu manere eandem libertatem, ut ſupra in hoc cap. diximus.

## CAPVT V.

### *An in raptu abſorbeantur omnes animæ operationes intellectus, memoriæ, & voluntatis.*

SUperiori diſputatione *cap.* 10. docuimus, aliquando in raptu non ſolum ſenſus externos, verùm etiam internos, præcipuè imaginationis operationem ſuſpendi, & abſorberi; nunc operæ pretium erit explicare, an partis ſuperioris animæ potentiarum operationes, quales ſunt intellectus, memoria & voluntas, vel ſaltem aliqua earum in divino raptu abſorbeatur.

Pro pleniori hujus difficultatis intellectu ac perceptione ſuppono ex communi myſticorum doctrina, pro eodem ſumi quantum ad præſens propoſitum attinet, aliquam potentiam abſorberi à ſua operatione, aut ſuſpendi, non quòd potentiæ pro illo tempore perdantur, aut amittantur, ſed quod tunc à ſuis operationibus abſtrahantur.

Prima Aſſertio, ſi ſermo ſit de raptu prout eſt in potentia cognoſcitiva, tunc certum eſt nullatenus abſorberi operationes potentiæ intellectivæ; quia ſi anima tunc temporis rapitur ad divinorum cognitionem, ſive contemplationem, quomodo tunc intellectus à ſua operatione ceſſabit? voluntatis verò operationes, vel etiam memoriæ, tunc temporis aliquando manebunt abſorptæ, & ſuſpenſæ, aliquando verò tantum remittentur, quod frequentius evenire probabilius ſanè videtur.

Aſſertio ſecunda. In ecſtaſi quando anima divinitus ad amorem ardentiſſimum, ſeu ad arcanam & ecſtaticam unionem admittitur, tunc pro tempore quo anima manet in ea feliciſſima unione, omnes omnino potentiarum operationes abſorbentur, non quòd intellectus non intelligat, voluntas non amet, aut memoria non retineat ea, quæ intellectus percipit, ſed quòd hæ potentiæ ita ſint in ſuorum objectorum perceptione vehementer applicatæ, & actuatæ, ut vix poſſint ſupra ſe ipſas ac ſuas operationes reflectere.

*Quare hæc ecſtaſis aliquando vocatur* quies, *aliquando* ſomnus? *aliquando*

Hæc aſſertio in primis probatur graviſſimorum Patrum auctoritate. Venerabilis Richardus Victorinus in *Pſalmum* 25. *cap.* 4. expreſsè eam confirmat, eruditè docens, quare hæc ecſtaſis vocetur aliquando *quies*, aliquando *ſomnus. Hanc*, inquit, *quietem Ioannes dicit ſilentium: Pſalmiſta vocat ſomnum. Ab Apoſtolo dicitur pax DEI, quæ exuperat omnem ſenſum. O quàm rectè ſilentium, ô quàm verè dicere poſſumus ſomnum, ſi excedit omnem ſenſum.*

*pax, quæ exuperat omnem ſenſum?*

*Quid enim de eo dignè dici poſſit, quod omnem excedit ſenſum? factum eſt, inquit, ſilentium in cælo quaſi hora dimidia. Quàm rectè ſilentium dicatur audivimus, ſed quomodo erit & ſomnus? cogita quid faciat ſomnus exterior circa hominem exteriorem, hoc facit ſomnus hujusmodi circa hominem interiorem. Somnus corporeus exuperat ſenſum corporeum, aufert enim officium oculorum, officium aurium, cæterorumque ſenſuum, atque membrorum: ſicut autem per ſomnum exteriorem ſopiuntur omnes ſenſus corporis, ſic per hunc, de quo loquimur, interioris hominis ſomnum exuperantur omnes ſenſus mentis. Simul enim abſorbet cogitationem, imaginationem, rationem, memoriam, intelligentiam, ut conſtet, quod Apoſtolus ſcribit, quia exuperat omnem ſenſum. Hujusmodi ſomnum anima inter veri ſponſi amplexus capit, cùm in ejus ſinu requieſcit.* Idem quoque Richardus *lib.* 1. *de contemplat. cap.* 82. ait: *Ibi itaque auditor cadit, ubi humana ratio deficit. Ibi Rachel moritur, ut Benjamin oriatur. Idem itaque (ni fallor) per mortem Rachel, & caſum diſcipulorum figuratur, niſi quod trium in tribus diſcipulis, ſenſus, videlicet, memoriæ, & rationis defectus oſtenditur. Ibi enim ſenſus corporeus, ibi externorum memoria, ibi ratio humana intercipitur, ubi mens ſupra ſe ipſam rapta, in ſuperiora elevatur.*

D. quoque Bonaventura *ſerm.* 2. *de luminaribus Eccleſiæ* ſubſcribit huic ſententiæ, ubi agens de *ſapientia nulliformi, & ecſtatica*: appellat *nulliformem*, quia eſt operatio ſecretiſſima tranſcendens omnem operationem intellectus, & omnem ſcientiam, addit, ſola tunc affectiva, vigilat, & ſilentium omnibus aliis potentiis imponit, & tunc homo eſt alienatus à ſenſibus, & in ecſtaſi poſitus audit verba, *quæ non licet homini loqui.*

*Mirificè hujus raptus ſive ecſtaſis effectus.*

Carthuſianus *de fonte lucis art.* 17. hanc quoque ſententiam confirmat, dicens: *Raptus enim & abſorptus introductus, & immerſus animus in divitias gloriæ, in oceanum Deitatis immenſæ, præ admiratione incomprehenſibilis majeſtatis, & entis terni prorſus independentis, nulliusque indigentis, cujus nulla eſt cauſa, in cujus manu ſunt omnia; deſluit prorſus ac deficit à ſe ipſo, tranſitque totus in principem majeſtatis, in fontem luminis, & Deitatis abyſſum: conquieſcens, atque obdormiens in dilecto, & aliud nihil advertens præ dominante in ea intuitione caliginis, totumque præoccupante ardore amoris. Quod Vir ſanctus expertus: Inflammatum eſt cor meum, inquit, & renes mei commutati ſunt, & ego ad nihilum redactus ſum, & neſcivi. Pſal.* 72. *O quàm benè & optimè eſt tunc animæ amoroſæ! quàm ſerena, quàm jucunda, quàm cæliformia, ac tranquilla ſunt omnia tunc in ea!*

Expreſſius autem idem Dionyſius *art.* 16. *Cùmque*, inquit, *hanc lucem omnipotens menti oſtenderit; mox mole magnitudinis ſuæ, actualitate, ac excellentia majeſtatis, perfectionis, ac luciditatis ſuæ immenſæ, mentem in momento, in ictu oculi, in puncto, ſic dulciter non violenter vincit, & opprimit; ut ipſa deſluat atque deficiat à ſeipſa, & victa amore, ac ſtupens præ admiratione ejus, quam contemplatur majeſtatis, ac claritatis immenſæ præ Deitatis, quam cernit delicioſiſſima ſerenitate, neſciat de ſeipſa. Siquidem repentè, tam validè illuſtratur, ac inflammatur; ut prorſus ſuccumbens, vires & ſenſus corporales amittat. Tunc mens increatæ lucis ſecretum inducta in infinitæ lucis abyſſo demergitur, in æternæ felicitatis oceano rapta deperditur, in amoris igne immenſi reſoluta comburitur, atque in ſupervaſtiſſimæ ac ſuperplaniſſimæ ſolitudinis impertranſibili & immenſa amplitudine ſecuriſſimè errat, feliciter deviat, perdens ſe ipſam, neſciens ubi, vel quando.*

Thau-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thaulerus *in ſerm. 3. de Spiritu ſancto* prope finem: *In hanc abyſſum, in, tam profunde abyſſali quodammodo ſpiritus immergitur, & abſorbetur, adeoque ſe perdit in ea, ut de ſe ipſo nihil ſciat, neque de modis ſuis, neque verbis, neque opere, neque guſtu, neque cognitione, neque amore. Horum, inquam, omnium nihil illo ſaltem tempore in ſe diſtinctè intelligit; ſed totus à DEO abſorptus eſt, nec aliud aliquid ibi eſt, niſi una pura, & ſimplex Divinitas, ineffabilis abyſſus, & eſſentialis unitas, datque hic DEUS ſpiritui per gratiam quod eſt ipſe per naturam, ſuam videlicet innominabilem modi neſciam, & omnis formæ expertem eſſentiam; ita tamen ut ſpiritus maneat creatura. Unde & DEUS omnipotens in eodem ſpiritu cuncta illius opera perficere & operari habet, laudare videlicet, cognoſcere, amare, atque frui; eſtque hic ſpiritus ab omni quidem opere otioſus, & DEUM patiens. Cæterum, ut nihil vel parum de divina eſſentia dici poteſt, & intelligi: ita & de illis quæ hic aguntur vix aliquid dicere ſufficimus.* Hæc ille.

Henricus Harphius *lib. 3. myſtic. Theolog. parte 2. cap. 16.* Si ergo, inquit, per amorem practicum, in amorem fruitivum ingredi voluerit, tunc omnes aliæ vires animæ perfluenti veritati, quæ Deus eſt, cedere compelluntur, ac in DEO ſibi ipſis mori funditus per effluxionem ſui ipſius, ac immerſionem in illam ſimpliciſſimam divinam eſſentiam, ſicut in proprio centro, hæc autem feliciſſima mors contingit in ſpiritu, cùm tres vires ſuperiores ſe in ſuis exercitiis operatione ſua vigoroſiſſima funditus extenuant, annihilant, & in propriam deficientiam perducunt, ut in ipſam latiſſimam Divinitatem abſorptæ feliciter effluant. Idem quoque Harphius *lib. 3. parte 3. cap. 17.* eandem doctrinam confirmat dicens: eo tempore quo feliciter à DEO agimur, & fruitionem conſequimur, ab omni operatione feriari cogimur. Et *parte 2. cap. 15. ejuſdem lib.* Quapropter, inquit, amor noſter efficitur ſimplex, & otioſus ſine operatione, & amor DEI ignis conſumens eſt, nos devorans & abſorbens in unionem cum DEO. Hæc Harphius.

*Diſcrimen inter matrimonium & deſponſationem ſpiritualem.*

Demum B. Virgo, & mater noſtra TERESIA rerum ſpiritualium experiſſima, in libris, quos divinitus à DEO illuſtrata conſcripſit, *manſione 7. cap. 1. & 2.* dum diſcrimen inter matrimonium, & deſponſationem ſpiritualem aſſignat, ita de hoc diſſerit: Primum igitur, inquit, diſcrimen eſt, quod in unione ſpiritualis deſponſationis, ſaltem tempore quo celebratur, omnes potentiarum operationes abſorbentur, quod anima quaſi cæca, muta, ac ſine ullo interiori ſenſu videatur remanere; ita ut pro tunc nulla ratione poſſit ſentire, aut intelligere, quale aut quantum ſit illud bonum, quo fruitur. Quia illa magna delectatio, qua animam perfundi ſuperius diximus, tunc ſentitur cum anima ſe DEO approximare cognoſcit. Ac cum jam amoris brachiis à DEO aſtringitur, eique unitur, nihil omnino ſentit, quia tunc omnes potentiæ conſopitæ ac abſorptæ manent.

*Legend. Commentarij noſt. Balthaſ.* in hæc cap. manſionis 7. caſtelli animæ S. M. Tereſ. *& citati ibid. è noſt. B. P. Joan. à Cruce* lib. et cit. amoris & flam*ma viva amor.*

In matrimonio vero ſpirituali aliter ſolet contingere, quia tunc DEUS potentias antea abſorptas, & quaſi ligatas ſolvit, & oculorum ſquammas tollens permittit, ut anima percipiat atque intelligat aliquid de ineffabilibus bonis, quibus fruitur. Quod quidem miro abſtrusoque modo contingit, nam animæ in illo centro manenti viſione intellectuali myſteriorum ſanctiſſimæ Trinitatis, omneſque tres perſonæ manifeſtantur, præcedit tamen hanc manifeſtationem ſuaviſſima quædam ſpiritus inflammatio inſtar luciſſimæ cujuſdam nubis, ibique notitia quadam admirabili percipit, qua ratione tres perſonæ ſint una ſubſtantia, una potentia, una ſapientia, & unus ſolus DEUS, ita ut quod fide tenemus, ibi anima (ut ita dicam) quaſi intuitivè cognoſcat. Eſt aliud præterea diſcrimen inter ſpiritualis matrimonii unionem, ac ſpiritualis deſponſationis, quia in hac omnia dona & gratias quæ à DEO anima recipit, eas videntur recipere mediis potentiis, aut ſenſibus: in matrimonio verò ſpirituali non ita contingit, quia cum hoc matrimonium in animæ centro contingat, ibi mediatè DEUS ſe manifeſtat quadam intellectuali, & nobiliſſima viſione. Hactenus B. Virgo Tereſia.

*Joan. à JESV MARIA cap. 6. Theol. myſt.*

*Philip. 3. part. Theol. myſt. tract. 1. diſc. 4. art. 1. 5. & 6.*

*Joſeph à JESV-MARIA tom. 1. Aſcenſ. animæ lib. 1. c. 30 & 6. 2. lib. 3. cap. 3. & 4.*

Vides qua ratione B. Mater docet in ecſtaſi omnes potentias, tempore, quo anima conjungitur DEO, omnino abſorberi, ac deperdi, quæ quidem abſorptio non eo modo intelligenda eſt, quod potentiæ nil omnino operentur, imo tunc perfectiſſimo modo operantur, nam voluntas ita ardentiſſimo amore in DEUM fertur, ut in eum præ nimio amore transformetur, atque à ſe ipſa deficere videatur. Intellectus deinde tanto lucis ſplendore illuminatur, ut præ nimia luce non aliter, ac ſi ſolem aſpiceret, nil ſanè intelligere ſibi videatur ſed potius ideo dicuntur abſorptæ, quia tanta intenſione, ac plenitudine ipſi DEO adhærent, ut nulla ratione poſſint ſupra ſe ipſas ullam facere reflexionem, ut illo tempore ſtatum feliciſſimum, quo fruuntur, percipere nequeant, ita expreſſe docuit Gerſon *ſuper* Magnificat, *Alphabet. 84. littera Q* his verbis; agens de iſta ecſtatica unione, non quòd omnino, inquit, ſit amor ſine cognitione prævia vel comite, juxta cujuſdam myſticè Theologizantis imaginationem (ubi obiter nota Gerſonem numquam admiſiſſe amorem ſine prævia cognitione, ut falſo illi à modernis Theologis imponitur.) Verum eſt, inquit, quòd illa cognitio non ſupra ſe reflectitur, ut videat ſe videre, jam enim avolaret iſta ſimplex ſynderesis ſcintillantis & ardentis affectio, juxta illud: *Averte oculos tuos, quia ipſi me avolare fecerunt.* Ita Gerſon.

Thaulerus *lib. inſtit. cap. 12.* egregiè expoſuit hunc intelligendi modum paucis tamen verbis, dicens: *Hic ſpiritus à DEO in admirabilem lucem ſuam deducitur, rapiturque, ita ut natura in quandam deformitatem elevetur, ibi planè ſpiritus noſter præ lumine abſque luce, præ amore abſque dilectione efficitur, non quòd abſque dilectione ſit, ſed quia ejus omnis cognitio, amorque ſuus nimis parva videntur ad ſummum DEUM comprehendendum.* Hæc ille.

Non aliter ac contingeret illi, qui ſolis orbem, ac ſphæram ingrederetur, nam tunc verius clariusque agnoſceret ſolem eſſe natura ſua lucidiorem, magiſque viſibilem, quamvis radiorum ipſius corruſcatione minùs videat, quo magis eum eſſe cognoſcit viſibilem. Sic planè anima ipſi Deo juſtitiæ vero ſoli ineffabiliter copulata, licet mentis oculos præ immenſa DEI claritate, & incomprehenſibilitate velut quibuſdam ſplendidiſſimis radiis reverberata caliget, & incomprehenſibili ipſius objecti luce ſuccumbat, experientia tamen ipſa apertius quàm antea DEI claritatem & incomprehenſibilitatem agnoſcit.

Hanc intellectus operationem S. Mater TERESIA à DEO divina revelatione edocta *in lib. ſuæ vitæ*, agens de hac unione *cap. 18.* mirè explicavit, cùm enim illa ſcire deſideraret, quid in hac my-

myſtica unione intellectus operaretur? reſpondit ei Dominus, ut ipſa refert *dicto capite ſuæ vitæ: como puede comprehẽder lo que entiende, es no entender entendiendo*: quaſi dicat: cùm intellectus non poſſit immenſam illam DEI claritatem, & incomprehenſibilem plenitudinem comprehendere, hoc ipſum eſt illam conſpicere, intelligere ſe non poſſe intellectu cognoſcere, & hoc quidem nihil aliud eſt ſub ratione incomprehenſibilitatis videre ac cognoſcere.

Fit ergo ex dictis, tempore ecſtaticæ unionis intellectum, aliosque interiores ſenſus omnino abſorberi; nam ſi carnalis delectatio rationis uſum (teſte Ariſtotele) pro tunc abſorbet, quid erit ſentiendum de ineffabili illa dulcedine, quæ ex immediata cum DEO conjunctione, & unione percipitur. Quare ſicuti in hac vita DEUS clarè videri non poteſt, niſi anima ſit omnino à ſenſibus alienata, ita neque DEUS ſentiri, aut percipi poteſt clarè in hac vita, niſi conſopitis omnibus animæ operationibus, ita ut anima pro illo breviſſimo tempore nihil omnino ſentiat. Quapropter exiſtimo tria tempora in hac unione ſive ſpirituali deſponſatione diſtingui debere. Primum, cùm eam anima percipit DEI præſentiæ ad ſe approximationem. 2. Cùm DEUS divino illo contactu animam deoſculatur, & ſponſæ labia divinum illud, ac ineffabile oſculum percipiunt. 3. Cùm plenè iſtam divinam præſentiam, ac ejus ſuavitatem degustat.

*Tria tempora diſtinguenda in hoc unionis ſtatu.*

In illo priori intellectus nondum abſorptus per infuſionem divini luminis, ab ipſius ſolis præſentia derivati, clariſſima luce elevatur, ut DEUM ipſum voluntati omnino proximum altiſſimo modo contempletur. Poſtea verò à ſe ipſo deficiens in illo inſtanti mutui cum DEO amplexus dulciter abſorbetur, & obdormit. Ut præclarè Dionyſius Carthuſianus *in Commentariis in lib. de myſtica Theologia D. Dionyſii cap. 9.* declarat dicens: Verumtamen in hac contemplatione fertur apex mentis, & intelligentiæ vertex DEO uniri tanquam omnino ignoto in omnimoda quoque caligine fieri, nihilque penitus de illo cognoſcere, non quòd ab illius inſpectione omnifariè vacet, præſertim cùm iſta ſit altiſſima, clariſſima, perfectiſſima, ac profundiſſima Deitatis contemplatio, cognitio, viſio huic vitæ poſſibilis, ut ipſemet magnus Dionyſius, & expoſitores ipſius teſtantur, ſed quia in hac contemplativa, ac ſapientialiſſima, ac ferventiſſima unione cum DEO mens acutiſſimè, & limpidiſſimè perſpicit, quam ſuperincomprehenſibilis, & ſuperſplendidiſſimus, & ſuperluminoſiſſimus, & ſuperpulcherrimus, & ſuperamabiliſſimus, & ſupergaudioſiſſimus ſit ipſe Dominus DEUS omnipotens, & immenſus, atque quàm infinitè, & indicibiliter à plena illius cognitione, ac beatifica ejus fruitione, viſione faciali immediatè, & clarè intuitiva, diſtet, deficiat, & occumbat, ideo præ admiratione, & amore deficit, & defluit à ſeipſa, gaudioſè quoque & dulciter abſorbetur, obdormit, & quieſcit in ſuperdilectiſſimo Creatore DEO Salvatore, ac miſeratore, imo & ſupergratioſiſſimo ſuo ſponſo totius beatitudinis ſuæ ſuperpiiſſimo fonte omnipotentiſſima, & liberaliſſima cauſa.

Hæc de illo inſtanti ſive tempore, in quo DEUS animæ per ſe ipſum unitur, & manifeſtatur, & quamvis hæc unio realis cum DEO breviſſimo tempore abſolvatur, & tempore quo perficitur ligatæ ſint, & quaſi abſorptæ ab illa immenſa, dulcedine omnes potentiæ, adhuc tamen neque in iſto tempore divini contactus ſive unionis mutuæ animæ cum DEO, credendum eſt omnino intellectum ſua carere operatione. Abſurdum enim eſſet cogitare animam illo feliciſſimo unionis tempore nobiliſſimis intellectus & voluntatis operationibus non aliter, ac ille qui deliquium animi patitur, omnino privari. Imo potius ex magnitudine lucis, amoris, & delectationis intellectus totus manet ſuſpenſus, & abſorptus, præſertim ex admiratione eorum, quæ tunc intelligit; tunc enim cum tenaciſſimè intueatur ea quæ ſpeculatur, non datur ei locus reflexionis ſupra ſeipſum, ita ut poſſit ipſe intelligere aut diſcernere ſe aliquid tunc intelligere, quia ab illa ingenti admiratione totus tenetur ligatus & abſorptus.

Dices igitur, anima cùm ſit eo tempore omnino abſorpta ac ſuſpenſa, nil poterit mereri, quia ad meritum requiritur, ut potentiæ non ſint ligatæ, ac neceſſario applicatæ ſuis objectis. Hanc objectionem ſibi proponit B. Virgo TERESIA *cap. 6. in Cantica*, ipſa verò hanc objectioni reſpondet, hoc eſſe arcanum divinum, ac potius fide tenendum, quàm rationibus examinandum. Nos verò poſſumus breviter reſpondere, ibi verè non eſſe meritum, ut B. mater confitetur, quia ad meritum omnino requiritur, quòd potentiæ animæ ita ſint expeditæ & liberæ, ut poſſint non ſolùm ferri in ſua objecta, ſed etiam ſupra ſe ipſas reflectere, ac dignoſcere ſuas operationes, alias omnino ſunt neceſſitatæ, quod meriti rationi contradicit.

*Quando in hoc ſtatu anima meriti capax ſit.*

Reſpondetur ſecundò, ſuppoſita illa diſtinctione ſuperius expoſita, nempe in hac ecſtatica unione tria tempora eſſe diſtinguenda; in primo nempe, cùm anima percipit DEI præſentiæ approximationem; & etiam in ſecundo, cùm ſentit ſe amplecti & divinitus oſculari, in his duobus ſtatibus anima nullum habet meritum in priori, quia eſt omnino abſtracta à ſenſibus, quare non poteſt tunc habere perfectum judicium, ut conſtat ex his, quæ ſæpè in ſuperioribus docuimus. In poſteriori verò ex duplici capite merito carere debet, cum propter rationem dictam, tum etiam propterea, quòd interiores animæ potentiæ ſunt omnino ligatæ, & abſorptæ. In tertio verò, cùm potentias quaſi ligatas & abſorptas DEUS ſua ſolvit benignitate, ut tunc percipiant feliciſſimum ſtatum quo fruuntur, ac alia myſteria, quæ eis divinitus revelantur, ſine dubio eo tempore merentur, quia cùm potentiæ non ſint abſorptæ, facilè ſupra ſeipſas reflectuntur, ac divinitùs illuſtrantur, ut non obſtante ſenſuum alienatione, perfectè agnoſcant ac dijudicent ea, quæ vident.

Hunc diverſum animæ ſtatum, Dionyſ. Carthuſ. *de fonte lucis cap. 16.* exponens illa verba Job 36. *In manibus abſcondit lucem, & præcipit ei, ut rurſus adveniat*; à nobis traditam hic doctrinam confirmat, dicens: in quo lucis hujus reditu annuntiat DEUS per allocutionem internam dilecto homini (bono ſcilicet, cum quo tam gratioſè operari dignatur) quòd lux iſta poſſeſſio ejus ſit, ita ut eam poſſit ſtabiliter poſſidere, & ſi ad horam amiſerit eam, ad eam rurſus recuperandam poſſit aſcendere, & per eam ad lumen gloriæ pervenire. Inſuper lucem contemplationis theoricæ ac myſticæ radium viſionis tenens DEUS in manibus, eandem lucem pulcherrimè radiantem ad libitum ſuum menti purgatæ nunc pandit, & influit, nunc retrahit, & abſcondit, ſicque lux iſta venuſtiſſima ad tenentis DEI arbitrium latet, ac patet,

&

& nunc copioſius, clariusque infulgens, nunc minus, &c. Ac poſt pauca: Etenim in hac profundiſſima contemplatione gratia DEI præveniens, ac pertranſiens, ſenſum perſtringit amantis, & eripit eum illi, infigitque ſibi, atque ut horum expertus ait S. Bernardus, rapit eum in diem, qui eſt à tumultu rerum ad gaudia ſilentii, hoc eſt, in ſplendorem clariſſimum lucis ſupremæ, in quo ab omni profluvio deſideriorum carnalium, inquietorum phantaſmatum, fluctuantium cogitationum ſuaviter conquieſcit obdormiens in dilecto. Hactenus ille.

## CAPVT VI.

*De effectibus aliis, tam tempore raptus ſive ecſtaſis, quàm tranſactis illis animæ communicatis.*

TEmpore quo anima divinam hanc ecſtaſim, quæ nihil aliud eſt, quàm (ut alibi plenius explicavimus) arcana unio cum ipſo DEO feliciter experitur, anima in divitias gloriæ, & in oceanum Deitatis immenſæ abſorbetur, in quo quidem gradu anima ſuo ſponſo feliciter unitur, & fit in cœlo ſilentium quaſi dimidia hora, & quidquid moleſtum antea fuerat, tunc abſorbetur à gloria; in hac enim ſecreta animæ cum DEO ſponſatione voluntas ardentiſſimo amore flagrat, & quaſi conſumitur. Cùm enim ipſa DEUM complectatur, majores cæteris ex illo uberrimo fonte aquarum viventium rivulos, nempe amoris, & delectationis exhaurit, ac ſapidiſſima in illo fonte divinæ ſuavitatis fluenta deguſtat. Intellectus verò per lucem increatam altiori & ſublimiori modo, quàm unquam aliàs, non tamen clarè & diſtinctè DEUM ipſum percipit. Memoria demum immobilis, ſerena, ac tranquilla permanet, breviter nunc operationes divinas, quas tres hæ potentiæ eo tempore patiuntur explicemus.

*Effectus communicari ſoliti in hoc ſtatu intellectui.*

Solet enim clementiſſimus DEUS, tempore hujus feliciſſimæ unionis ecſtaticæ, ut *in ſuperiori capite* annotavimus, intellectum ſolvere, & inæſtimabiles divitias, ac dona ineffabilia, quibus tunc anima fruitur, clarè dignoſcere poſſit, nec non alia quoque divina myſteria in intellectuali viſione animæ manifeſtare, quod eſt veluti tertium tempus, ſive ſtatus animæ illa divina unione fruentis, per quam certè manifeſtationem naturæ divinæ, attributorum, ac divinarum proprietatum in intellectualibus imaginibus clariſſimum lumen acquirit. Potiſſimum vero miratur liberaliſſimam illam divinitatis communicationem, ſe ipſam tam ad intra, quàm ad extra immenſa ſua bonitate mirabiliter effundentis. Unde grandis in anima fiducia generatur, ut cum DEO familiariter agat. Ibi etiam lumine divinitus infuſo gignitur inſignis perſpicacitas ad penitiſſima ſacræ Scripturæ ſenſa, & divinæ ſapientiæ arcana penetranda, quin imo non ſolum anima, verùm etiam corpus & ſenſus mirificè perficiuntur.

De hoc lumine, quo tunc temporis intellectus divinitus illuſtratur, optime Henricus Harphius *lib.2. part.3. cap.12. de myſtic. Theolog.* In hunc, inquit, modum etiam ejuſmodi homines, tam profundè rapiuntur in omnimodas occultas cognitiones, quod incredibile foret inexperto. Primò quidem intellectuales oculos attollentibus in DEI excelſam naturam, datur plerumque ipſis notitia de DEO, quod ſcilicet ſit quædam incomprehenſibilis ſimplex puritas, in ſua eſſentia inſcrutabilis profunditas, inacceſſibilis altitudo, incomprehenſibilis latitudo, æterna longitudo, tranquilla & ſilens, aut quieta caligo, lata & vaſta ſolitudo, requies æterna Sanctorum commune fruibile ſui ipſius, & omnium Sanctorum, & multa his ſimilia, quæ conſiderari poſſunt in abyſſali pelago Deitatis. Et quàmvis homines non intelligant, quid in iſtis verbis incluſum ſit, quamdiu ipſis non fuerit conceſſum experiri, ſcire tamen debent, quòd intellectus illorum, qui ſe frequenter ad iſta convertunt, in tantum in hujuſmodi ſuſtollitur in admirationem, ut omnes vires animæ ſequi cupiant, unaquæque cum operatione ſibi debita ad gratias agendas DEO ad ipſum honorandum & amandum, adeò quòd totus homo habituatur in elevatione omnium virium animæ.

Et inferius: Nunc ergo proſequendo de iſta notitia, Secundò oculus intellectualis elevatur & inſtruitur de SS. Trinitate videlicet, quomodo Filius à Patre æternaliter generetur, & Spiritus ſanctus procedat à Patre & Filio, quomodo tres illæ Perſonæ ſunt unus DEUS, & una Eſſentia, æqualis potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis, & generaliter quicquid DEO aſcribitur, hoc iſtis tribus Perſonis æqualiter attribuitur, & dumtaxat diſtinguit eas ſua Perſonalitas. Sed iſta notitia, & apparitio fit penitus in ſpiritualibus imaginibus, aut ſimilitudinibus in iſto gradu conſurrectionis, & non eſſentialiter.

*Effectus, quos percipit in hoc animæ ſtatu voluntas.*

Et hæc de operatione intellectus. De voluntate igitur aliquid proferamus. Hoc tempore diximus, voluntatem divino connubio ipſi DEO feliciter conjungi. Et ut *lib.4. cap.17. §.2.* indicavimus, hic dum mens à ſe alienatur, dum in illam divinam & arcanam unionem rapitur, dum ab illo divini amoris pelago undique circumdatur, ac intimè penetratur, ſe ipſam penitùs exuit, divinum quendam affectum induit, & inſpectæ pulchritudini configurata, tota in illam gloriam in DEUM transformata tranſit. Sub hoc itaque ſtatu mens ſugit mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo, & ſub illo Divinitatis montes (id eſt, DEUS ipſe animæ unitus) ſtillant dulcedinem, & Deitatis colles fluunt lac, & mel, ipſaque Domini gloria fœderis implet tabernaculum. Sic autem ſuam præſentiam infinitè amabilem exhibet, ut faciem ſuam animæ oſtendat, amorem & dulcorem infundit, ſed faciem ſuam & decorem ſuum non oſtendit, nondum enim in hac vita apparet in lumine, quamvis in amoris igne ſe manifeſte; unde in hoc gradu anima dilectum ſuum ipſum deoſculantem ſentire omnino poteſt, videre tamen non poteſt. Cogita igitur quanta erit amoris magnitudo, qua Beati ex unione ſuæ voluntatis cum ſummo bono fruuntur in gloria, quia ea quam Juſti in hac vita percipiunt, non multum diſtat ab illa, licet enim anima DEUM non videat, dicitur tamen vivere cum DEO, vivere de DEO, eſſe in DEO, & DEUS in ipſa, qui eſt omnia in omnibus. Dicitur etiam habere, & poſſidere DEUM, qui eſt ſummum bonum, & ubi eſt ſummum bonum, ibi eſt ſumma felicitas, ibi vera lætitia, licet non omnino plenè, dum peregrinamur à Domino; & huic quidem inchoatæ Beatitudini jure congruere poſſunt carmina illa, quæ Hugo Victorinus *lib. 1. de anima cap.4.* in laudem æternæ vitæ compoſuit:

Eſt

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Eſt ibi pax, pietas, bonitas, virtus & honeſtas:*
*Gaudia lætitiæ, dulcedo, vita perennis:*
*Gloria, lux, requies, amor, & concordia dulcis.*

Hæc omnia reperiuntur in iſto ſpirituali DEI, & animæ matrimonio.

De hoc amore, ut annotavit Harphius *capite 53. ubi ſupra*, eſt Infuſiò quædam ignis ſpiritualis, id eſt, charitatis, voluntatem penetrans tranquillo, & quieto amore, qui non erumpit ſicut amor practicus, qui homini inferiori infunditur, ſed amor iſte recipitur in viribus intellectualibus à corpore ſeparatis, & eſt ſilens, purus, ac perfectè depuratus, vel excoctus inſtar olei, quod non ſupereffluit cùm ſufficienter fuerit bullitum. Hic amor nobilior eſt alio, ſicut aurum, terra, & ſubtilior, ſicut aer aquâ trahens ſemper ſuperiores vires ad ſuam originem, quantoque ſpiritualior fuerit, tanto minorem ingerit laborem. Calor autem hujus amoris tam vehemens eſt, quod totum hominem videtur comburere, atque conſumere, & quaſi in ignitum, ſeu vivum carbonem transferre, atque in immenſum illum divini amoris ignem trahere, & anihilare, adeo ut amans ſpiritus divinum amorem invocare compellatur ſine intermiſſione, ut ſe introlat, devoret, in abyſſo immenſæ ſuæ magnitudinis. Econtra verò divinus amor intellectuali impreſſione clamat inceſſanter in ſpiritu, ut amet illum amore, quo ipſum æternaliter amavit.

*Effectus memoriæ communicari conſueti.*

Demum memoria ecſtaticæ unionis tempore, imo ipſa unione ecſtatica transacta per influxum divinum, & converſionem ad DEUM fit tranquilla, clara, & ſerena, quemadmodum aer, quando quietus eſt ab omni ventorum impetu, purus nubibus, nebulis carens, ac ſolaribus radiis omnino clarus. Attollitur enim in hoc ſtatu mens ſupra omnia ſenſibilia, ut ſi quis ultrà nubes elatus, apertum cœlum intueretur, & in eo fælici ſtatu memoria fit adeo conſtans, & ſtabilis, ut nihil ejus ſerenitatem perturbet, unde fit, ut rerum creatarum etiam transacta unione vix poſſit meminiſſe, adeo enim rerum terrenarum recordatione privatur, ac ſi eſſet homo totus cœleſtis. Transactio verò raptu ſæpe eorum quæ in eo viſa ſunt, ſive intellecta ſolent obliviſci, ut erudi è tradit Richardus *libro quarto de contemplat. capite vigeſimo tertio. Cùm enim*, inquit, *per mentis exceſſum ſupra, ſive intra noſmetipſos in divinorum contemplationem rapimur, exteriorum omnium ſtatim, imo non ſolùm eorum, quæ extra nos, verùm etiam eorum, quæ in nobis ſunt omnium obliviſcimur. Et item cum ab illo ſublimitatis ſtatu ad noſmetipſos redimus, illa, quæ prius ſupra noſmetipſos vidimus in ea veritate, vel claritate, qua prius perſpeximus ad noſtram memoriam revocare omnino non poſſumus. Et quàmvis indè aliquid in memoria tenea mus, & quaſi per medium velum, & velut in medio nebulæ videamus, nec modum quidem videndi, nec qualitatem viſionis comprehendere, vel recordari ſufficimus. Et mirum in modum reminiſcentes non reminiſcimur, & non reminiſcentes, reminiſcimur; dum videntes non pervidemus, & aſpicientes non perſpicimus, & intendentes non penetramus. Vides certè, quia humana mens, ſive in illud intimum arcanorum ſecretarium introeat, ſive de illo ad exteriora exeat; Vides inquam quia utrobique eam velum oblivionis excipiat.*

Transacta verò ecſtaſi anima, quæ ad ſeipſam reverſa ex gratiæ & lucis plenitudine, quam ibi uberrime in ſuo fonte ecſtaticæ unionis tempore deguſtavit, mirabiles amoris, & lucis, aliarumque virtutum affectus in ipſam derivatos, & illa quæ antea in cella vinaria ebria videbatur, ſobria egreditur, cœleſtibus tamen divitiis ac gemmis pretioſiſſimis tam lucis, quàm amoris, aliarumque virtutum, ac donorum condecorata; nam cùm mens in ſuperiori amoris gradu divino amore incenſa, ac in DEUM transformata fuerit, ex illo igne divino, de quo loquens Jeremias *capite primo* Thren. *Miſit*, inquit, *ignem in oſſibus meis, & erudivit me.* Maximus planè charitatis ardor in voluntatem, ac intelligentiæ lumen in intellectum dimanant, qui quidem ardor charitatis eam tranquillo quodam, & quieto amore delectabiliter afficit, nec erumpit, ut antè impatiens, & æſtuans amor efficiebat; ſed potius eſt omnino ſilens, purus, & perfectè defæcatus, vel excoctus ad inſtar olei, quod amplius non ſupereffluit, cùm fuerit ſufficienter ebullitum. Hic amor nobilior eſt alio, ſicut aurum terra, & ſubtilior ſicut aer aqua, qui continuo trahit animam ad jugem & ſupereminentem cum DEO unionem. Calor autem hujus amoris tam efficax eſt & penetrans, ut oſſium medullas, ac totum hominem conſumere, & quaſi ignitum carbonem in immenſum illum divini amoris ignem trahere, & transformare videatur.

Iſte verò ardentiſſimus amor, transacta illa fruitiva unione, quaſi per modum habitus voluntati à DEO conceditur, manet enim in anima omnino radicatus, neque ſicut ille prior cito pertranſit, ſed continuò potius ac perenniter à voluntate divini amoris incendio ignita profluit, qui animam in hoc ſtatu ad divinæ voluntatis nutum facilè applicat, & accommodat, in qua quidem plena conformitate Chriſtianæ perfectionis ſumma conſiſtit. De hujus verò gradus ardenti charitate, cæteriſque virtutibus præclarè Richar. de gradibus violentæ charitatis ſcripſit, dicens: *Cùm igitur anima in hunc modum divino igne fuerit decocta, medullitus emollita, penituſque liquefacta, quid jam ſupererit, niſi ut proponatur ei, quæ ſit voluntas DEI bona, beneplacens, atque perfecta, quaſi quædam ad quam informetur conſumatæ virtutis formula? ſicut enim excluſores liquefactis metallis, propoſitiſque formulis, quamlibet imaginem pro voluntatis arbitrio excludunt, & vaſa qualibet juxta modum congruum, formamque deſtinatam producunt; ſic anima in hoc eſſe ad omnem voluntatis divinæ nutum facilè ſe applicat, imo ſpontaneo quodam deſiderio ad omne ejus arbitrium ſe ipſam accommodat, & juxta divini beneplaciti modum omnem voluntatem ſuam informat. Et ſicut metallum liquefactum quocunque ei via aperitur, facilè ad inferiora currendo delabitur: ſic anima in hoc eſſe ad omnem obedientiam ſe humiliat, & ad omnem humilitatem juxta divinæ diſpoſitionis ordinem libenter inclinat. In hoc itaque ſtatu animæ ejuſmodi proponitur forma voluntati Chriſti: unde & dicitur ei:* Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto JESU, qui cùm in forma DEI eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem DEO, ſed

*Pulchra ſimilitudo.*

*Ad Philipp. 2.*

ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit autem ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis. *Hæc eſt forma humilitatis Chriſti, ad quam ſe conformare debet, quiſquis ſupernum conſummatæ charitatis gradum attingere volet.*

*Decem effectus ecſtaticæ unionis.*

Sed quia effectus ecſtaticæ unionis *libro 4. de divina oratione cap. 25.* plenius enumeravimus, nunc brevi oratione perſtringemus. Omnes verò congruè reduci poſſunt ad decem ſequentes. *Primus* eſt, immenſa ferè animæ DEO unitæ gratia & pulchritudo. *Secundus*, Lucis ſive veritatis ſplendor. *Tertius*, Charitatis ardor. *Quartus*, Ineffabilis ſuavitas. *Quintus*, Pax exuperans omnem ſenſum. *Sextus*, Virtutum omnium ornatus. *Septimus*, Vera Chriſti imitatio. *Octavus*, Rerum humanarum contemptus. *Nonus*, Perfecta mandatorum DEI, & Eccleſiæ adimpletio. *Decimus*, Mirabilis corporis transmutatio.

*Meritum quo anima in raptu privatur, aliis eximiis gratiis compenſatur.*

Vides quàm innumerabilia dona, quàm eximia, & illuſtria gratiarum chariſmata, loco meriti, quo eo tempore anima caret, à DEO liberaliſſime ei concedatur. Cùm enim raptus brevi tempore duret, ut inferius dicemus, etiamſi meritum futurum eſſet uberrimum, comparari minimè poſſet ſpiritualibus emolumentis, ac perfectionis gradibus, animæ tempore raptûs collatis, ac eo tranſacto relictis in anima effectibus, quibus cùm non jam brevi tempore, ſed totius vitæ ſpatio ampliora, ac uberiora merita ardenti charitate inflammata, ac virtutibus heroicis prædita comparare poterit. Meritum igitur in raptu non amittitur, ſed potius in melius commutatur.

## CAPVT VII.

### *Vtrum vi raptus aliquando animam à corpore ſeparari contingat.*

*Legend. Biblioth. Theolog. noſt. Dominici Tom. 7. lib. 7. ſect. 7. cap. 4.*

SOlet frequenter in raptu anima à ſenſibus alienari, rariſſimè tamen ſeparari à corpore, quàmvis non defuerint aliqui, quos refert Martinus del Rio *libro 2. diſquiſit. magicarum quæſtione* 25. inter quos erat Bodinus, qui cenſent in raptu magico animam revera deſerere ipſum corpus, atque aliis in locis ſeparatam verſari, qui error fuit Cabaliſtarum, adducitque quamplures fabulas, in quibus refertur multoties defunctum revixiſſe, & animam quoties voluit corpus reſumere potuiſſe, ita ut aſſiſtentes animam Cervi effigie ex ore evolantem viderunt, ac aliquando de militis dormientis ore egreſſa, & iterum ingreſſa, &c. Nam verè iſti mortui non erant, ſed potius in raptu magico, neque anima ex ore evolabat, ſed hoc erat diabolicum præſtigium ad hoc inſtitutum, ut de animæ transmigratione errorem in mentibus præſcriberet.

*Et commentar. noſt. Balthaſ. in c. 5. manſione 6. caſtell. animæ ſplend. unico, reflexione 4.*

Quare ut certum conſtituendum eſt, in magica ecſtaſi nulla ratione animam ſeparari à corpore; ratio hujus eſt, quia cùm mors nihil aliud ſit, quàm animæ à corpore ſeparatio, & in ipſo animæ egreſſu hæc contingat ſeparatio, neceſſariò homo morietur in iſto animæ egreſſu, ſed homine mortuo ſolus DEUS poteſt propria virtute iterum animam in corpus inducere, quia hoc pertinet ad potentiam DEI infinitam; igitur anima ſemel ſeparata migrare non poterit in aliud corpus, neque ſuum iterum ingredi, ac informare, niſi DEO volente atque ducente.

*Et B.P. Ioan. à Cruce, & Ioſephum à Ieſu-Maria ab eo ibi- dem citatus.*

Adducunt in contrarium raptum Pauli, in quo cenſent animam Divi Pauli extra corpus fuiſſe, quod quidem probare non poſſunt. Potuit quidem DEUS id facere, ſed an fecerit, cum ipſi Paulo fuerit incertum, cui poterit conſtare? nec auderem cum B. Hildegarde affirmare corpus verè ab anima fuiſſe tunc ſeparatum, cùm de hoc dubitent Patres, ac Scholaſtici omnes, ut inferius dicemus: Solus igitur DEUS ſic animam in raptu ſeparare poſſet, & interea in corpore idoneas iterum recipiendæ animæ diſpoſitiones conſervare; quod an Paulo contigerit dubitare ſe Paulus profitetur. Huic ſententiæ adhæret D. Thomas 2.2. *quæſt.* 175. *art.* 5.

*2. Corint.*

Eodem quoque modo intelligendum exiſtimo quod refertur in Franciſcanorum Hiſtoria de B. Ægidio, qui cùm aliquando interrogaretur, an in hac vita corpus ſuum per ecſtaſim, vel contemplationem animam deſerat. Reſpondiſſe affirmativè: Quòd ſic intelligendum reor, vel quòd tempore ecſtaſis anima ab omni corporis functione fuerit abſoluta, & ſic corporis penitus oblita fuerit: vel quod divina potentia à corpore deducta in id reducta fuerit. Primum tamen horum magis veritati, & experientiæ eorum, qui ecſtaſim patiuntur, conforme videtur.

*Nonnulli exiſtimãt Deiparã Virg. præ magnitudine dolorũ, quẽ percepit ex Chriſti Domini Paſſione, obiiſſe; quod probare nituntur variis argumentis.*

Nec deſunt inter Authores Catholicos, qui putent tantum fuiſſe, ac tam acerbum DEIparæ Virginis MARIÆ dolorem, ut non ſolùm extra ſe præ magnitudine dolorum à ſenſibus abſtraheretur, ut ſuperius *diſput. 1. cap.* 14. oſtendimus, ſed etiam quòd re vera eam vita privaverit; ita ut cũ Chriſto mortua verè fuerit; licèt poſtea reſurrexerit, contendantque ſuam ſententiam multis argumentis comprobare; validiora interim breviter proponemus.

Primò nituntur id probare ex illa Prophetia Simeonis Lucæ 2. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, id eſt, dolor de morte filii tui vitam tuam per medium ſcindet, atque abrumpet; neque id dictum eſt per hyperbolem; quoniam non hæc facilè admittitur in Vaticinio futurorum.

Secundò, quia tantus erat amor mutuus inter filiũ, & matrẽ, ut caro CHRISTI, caro MARIÆ reputaretur, quia illa erat optima mater inter õnes mulieres, & ille optim⁹ inter omnes filios, ac proinde dignus erat sũmo amoris affectu; quod ſi ex amoris quãtitate capienda eſt mẽſura doloris, ubi immenſus amor, ibi etiam immenſus dolor eſſe debet, & ubi dolor immenſus, ibi & mors, de qua ait ſponſus Cant. 7. *Fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio*; id eſt, dilectio, quam à te exigo, debet eſſe efficax, & fortis inſtar mortis, quæ ut hominem ab omnibus ſeparat, & ab omnibus quæ videntur delectabilia, avellit; ſic vera Chriſti dilectio cujus cor occupat, mundo penitùs mori cogit, talis fuit dilectio mea, inquit Chriſtus, pro qua ad mortem ipſam amplectendam acceſſi, quòd ſi ſolus amor carnis nonnullos adegit ad mortem, cur non idem tantus affectus carnis & ſpiritus ſimul faciet?

*Nullum gratiæ donum collatum fuit alicui ſancto quod non copioſius*

Tertiò. Nullum donum aut gratia fuit in ullo Sanctorum, quæ nõ amplius debeat in B. Virgine ſplendeſcere, atqui conſtat martyrium ſummum eſſe DEI beneficium, quod ſecundùm veriorem B. Thomæ doctrinam 2.2. *quæſt.* 124. *art.* 4. non perficitur, niſi reali morte, & ſanguinis profuſione, ergo MARIA particeps martyrii debuit eſſe, nam ſi hæc martyrii gratia illi defuit, cogemur fa-

te-

*receperit SS. Dei Genitrix,*

teri Agnetem, Luciam, Catharinam, & ſimiles permultas B. Virgini ſuperiores extitiſſe.

4. Argumentatur ex quibuſdam Hiſtoriis fide dignis, quæ aliquos tradunt ex ſola cõtemplatione Chriſti Crucifixi animam exhalaſſe, atque id magni loco beneficii repoſuiſſe; nam, ut alios prætermittamus, Raymundus magiſter Ordinis B. Dominici, qui fuit à confeſſionibus B. Catharinæ Senenſi, refert inter alia DEI beneficia hoc quoque Catharinæ conceſſum, ut omne genus tormenti experiretur, quod Dominus in Cruce pertulerat, ex quo aliquando vehementiſſimis oppreſſa doloribus ad tempus mortua fuit, & quòd poſt aliquot horas revixit. Si ergo imago Crucifixi, & ſola abſentis rei meditatio potuit mortem inferre devotis ejus amatoribus, quid credendum erit de matre ſanctiſſima, quando res ipſa ſeriò agebatur, & præſentem filium propriis oculis ſpectabat crucifixum, & tanquam agnum manſuetum ab immaniſſima fera exagitatum.

Ultimò argumentantur ex quorumdam Patrum teſtimoniis, in quibus nihil expreſsè de Virginis morte aſſeritur. Deinde producitur Gregorii Nyſſeni apud D. Thomam in catena aurea relatum: Hæc de filio, inquit, dicuntur, ſpectant tamen ad ejus Genitricem, dum ſingula ſibi aſſumpſit ſimul periclitata, & glorificata. Ita Nyſſenus. Quæ quidem verba non cogunt ad mortem in MARIA ponendam, ſed aſſeritur ſimul periclitata cum Chriſto, quia quæ Chriſtus corpore ſuo ſimul & ipſa in anima ſua perpeſſa eſt, & poterant ad mortem perducere, niſi fuiſſet divinitus confortata.

*Deipara Virgo nequaquam in paſſione Filij ſui præ nimio dolore extincta fuit.*

Omiſſis verò aliis teſtimoniis, quæ ad rem non conducent, prima ſit aſſertio: B. Virgo in Paſſione Chriſti Domini nequaquam mortua fuit, ac contraria ſententia ſine fundamento conficta videtur, nec ullus Patrum eam tenuiſſe legitur, nec ex Eccleſiæ traditione conſtat, ac ſacris litteris contraria eſt, quæ aſſerunt ſtetiſſe MARIAM juxta Crucem JESU, quod triplici ratione probari poteſt.

Prima, quiâ non decebat illa die alium præter Chriſti ſanguinem in reconciliationem humani generis fundi, ne cum Chriſto alius cogitaretur Redemptor, aut JESUS non ſufficiens & idoneus Salvator. 2. Quia ut *cap.* 14. probavimus, B. Virgo tempore Paſſionis Chriſti, non mortem, ſed ecſtaſim præ nimio dolore tantum paſſa fuit: & Patres affirmant, quod ſi tunc à DEO non fuiſſet divinitùs confortata, præ dolorum magnitudine interiiſſet, non ergo mortua fuit. 3. Quia probabilior ſententia tenet, B. Virginem vi amoris, & ardentiſſimi deſiderii, atque intenſiſſimæ contemplationis obiiſſe, fieri enim poteſt, ut mens tanta efficacia & intenſione his actibus applicetur, ut non ſolùm à ſenſibus abſtrahatur, ſed & ipſum corpus veluti deſtituat, ita ut paulatim ejus diſpoſitiones remittantur, ac deficiant, ac tandem ob earum defectum non poſſit anima in corpore conſervari.

Secunda Aſſertio. Non ſolùm beatiſſimæ Virgini, ſed etiam aliis hominibus puriſſimis accidere poteſt, ut præ magnitudine divini amoris aut voluptatis intenſiſſimæ anima divino raptu à corpore ſeparetur, ac in cœlum celeriter evolet; contingit enim aliquando cor ipſum dilatari, & apertis poris ac patentibus, ut cor ipſum quaſi rumpatur. Hoc autem amoris vulnus, inquit Richard. *Tractatu de gradibus violentæ charitatis*, tantum amorem & gaudium excitat in anima, ipſumque cor in principio uſque adeo expandit, & latè explicat, ut ægrè claudi poſſit, hinc jam quodam vulnere cordis afficitur eo tempore anima, quod verè eſt, & dicitur *vulnus amoris*. Nil verò poteſt hoc amoris vulnere ſentiri ſuavius, aut vehementius excruciare. Hæc ille. Unde licèt amor boni non ſit paſſio, quæ læſionem inferat, ex vehementiori tamen intenſione ſua, corpus etiam lædit, ipſumque ſauciat: unde cor in illa expanſione læditur quidem, ſed abſque mœrore: hæc enim eſt dulciſſima paſſio, qua cor ipſum affici mirabiliter concupiſcit. Solet tamen adeo hæc ſuaviſſima læſio ingraveſcere, ut mortem quoque feliciſſimam inferre valeat; invaleſcit enim amoris impetus, & cor ex ardenti illo deſiderio DEI tantum angitur, ut paſſioni ſuccumbat, neque hoc mirum eſſe debet; nam ut Henricus Harphius ſcribit *lib. 2 myſtic. Theolog. part. 3. cap 44.* nonnullos propter tantam cordis adapertionem mortem incurriſſe. Et iſtud accidit ex gaudio, voluptate, vel amore, prout in *lib. Apum* legitur: *quòd Brugis quadam devota fæmina in ſermone moriebatur præ magnitudine amoris. Similiter legimus de quodam milite, qui obiit in loco, de quo Dominus noſter cœlos aſcendit. Iſta læſio eſt etiam ſignum poſt futuræ ſanitatis ſpiritualis, atque divinæ viſitationis, quia Chriſtus ſplendidus Sol Iuſtitiæ infundit ſecundò & tertio, imo multis vicibus hujuſmodi vulnerato cordi radios divinæ claritatis, dulcedinis, & charitatis, excitando multoties animam ad amplexum ſuæ unitatis, ſicque cordis vulnus renovat, & aggravat. Verumtamen eo tempore vulnus hoc unctum eſt ſuperabundantiſſimis deliciis, quas cor ipſum recipit. Corde verò ſic à tantarum deliciarum convivio invitato,* (ut idem Harphius *lib. 3. cap. 12.* proſequitur:) *mox toto affectu biantibus arterijs ſe dilatat, & expandit, ac omnes animæ vires ad pacis, & charitatis vinclinum toto ſe deſiderio præparant, & ornant: hæc autem invitatio eſt quædam æterni Solis illuminatio, cor ipſum tantæ delectationis gaudium, tam patulum reddens, ut nulla queat humana virtute recludi, & ideo cor intrinſecus vulneratur, & amoris læſionem patitur, quæ quidem amoris vulneratio eſt dulciſſima paſſio, & graviſſima pœna.* Hæc ille.

*Conditio vulnerantis amoris exponitur.*

Hoc autem amoris vulnus non ſolùm incipientibus, ſed & perfectis aliquando contingere ſolet, ut egregè annotavit D. Bonavent. *de 7. Itineribus æternitatis diſtinct. 5. art 2.* Nota, inquit, quòd amor violentus non ſolùm vulnerat amatrices animas, ſed etiam cœleſtes ſubſtantias, imo etiam ipſum fontem amoris DEUM vulnerat. Unde Vercellen. exponens illud Cantici: *Filij matris meæ pugnaverunt contra me*, dicit, filii ſunt ſubſtantiæ ſupernæ civitatis, ex qua ipſa aſſiduè ſpiritualia percipit alimenta. *Pugnaverunt contra me.* Pugnantes corporaliter ſpiculis acutis mutuò ſe feriunt, & pungunt, ſic mentes contemplativæ ſpiculationes volatiles, ferventia deſideria, ſubtilia, & acutè penetrativa emittunt. Primò quidem Paranymphos, prorſus ipſis pertranſitis in ſponſum dirigunt ſagittas acutas volatiles violentis ſcilicet amoris, ut dicat: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa:* ſicut dicitur in Canticis. Mentes enim cœleſtes ad ſimilitudinem pugnantium his ſpiculationibus, & deſideriis occurrentes luminibus fervidis, & penetrativis illos perfundunt, & ad ſui ipſarum exceſſum, quaſi ad quandem ſpiritualem mortem provocant, quam eligant oſſa, ut vivant vita ſponſi. Hæc Vercellenſ.

*Hanc experta fuit Seraphica mater Tereſia.*

Hoc amoris ſpiculo cor viſceraque Seraphicæ Virginis Tereſiæ trajecta fuêre; vidit enim, ut ipſa refert in *lib. ſuæ vitæ* juxta ſe ad ſiniſtrum latus Angelum ſtatura brevem forma elegantiſſimum, igneo aſpectu flagrantem, quem ab ardore Seraphim exiſtimavit. Ferebat ille manu jaculum aureum, ex cujus ſpiculo ſummo, ut apparebat, ignis prodibat modicus. Hoc ergo cœleſti jaculo cor Virginis tam validè ſauciavit, ut hærentia ſpiculo viſcerum fruſta extrahere videretur. Dolor acerrimus erat, ut ſubtiles quoſdam gemitus ejus indices ederet, cùm vires ad clamorem deficerent: nec tamen dolore carere ullo pacto cupiebat, erat enim ineffabili oblectamento permixtus.

Hæc autem amoris vulneratio ita grave vulnus etiam animabus perfectis infligere ſolet, ut etiam aliquando mortem ſubire videantur. Solet enim tam vehementem amoris impetum cauſare, ut vita propemodum privare videatur. Sic aliquando ſanctiſſimæ Virgini Tereſiæ, dum Salmanticæ virgines ejus filiæ amatorium carmen de Chriſto canere in Reſurrectionis Dominicæ Feſtivitate cepiſſent, veluti jaculo trajecta, ita ſummus ex ſponſi abſentis dolor invaluit, ut frigente, ac penè diſſoluto corpore vita ferè intercœpta fuerit. Et crebrò ſic afficiebatur, ut paulò minùs præ deſiderio DEUM videndi animam efflaret, niſi opportunis raptibus clementiſſimus DEUS ſui copiam illi feciſſet, ut ſic anima vulneribus amoris ſaucia, nonnihil requieſceret. Ac demum tot ac tanta amoris vulnera experta eſt, ut tandem violentiſſimo amoris vulnere (ut latius Didacus Jepez Epiſcopus Turiaſonenſis in ejus vitæ hiſtoria tradit) animam feliciter efflaverit.

*Reſpond. argumentis pro contraria ſententia propoſitis.*

Argumentis in contrarium adductis ſatisfit. Ad primum facili negotio reſpond. nullam eſſe hyperbolem; nam de Joſepho Patriarcha in carcere conſtituto dixit David Pſal. 104. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertranſiit animam ejus.* Quem locum Auguſtinus *Epiſt.* 59. explicat ferri nomine tribulationem indicari, nec quiſquam ex hujuſmodi verbis elicuit mortem corporalem Joſeph eſſe intelligendam.

Ad ſecundum dicimus, non ſemper ad ſummum dolorem ſequi mortem, in Joanne enim Evangeliſta maximè amato, & Chriſti amatore ſingulari & ejus mortis ſpectatore mors conſecuta non fuit, etſi interdum in quibuſdam fœminis, aut viris ſummo dolore affectis ſecuta ſit mors, id potius ex debilitate animi parum in adverſis exercitati, & parum conſtantis in DEI providentia provenit; at cùm B. Virgo mortem Chriſti apprehenderit, & cognoverit ad majorem ejus gloriam, & pleniorem mundi ſalutem conducere, dolori non ſuccumbebat, imo hæc omnia ejus mentem inconcuſſam tenebant.

*Cur SS. Virgo martyr & plusquam martyr nuncupetur.*

Ad tertium reſpond. Hanc quoque martyrii coronam ſanctiſſimæ Virgini non defuiſſe, ſed eminentiori quodam modo in ea fuiſſe; quare Patres abſolutè eam vocant *Martyrem*, & pluſquam martyrem, ut colligitur ex D. Bernardo in ſerm. *Signum magnum.* D. Hieronymo in ſerm. de Aſſump. Ildefonſo *ſerm. 2. de Aſſumpt.* Anſelm. *lib. de excellentia virginis cap.* 5. Omnes hi B. Virginem *pluſquam martyrem* vocant propter immenſum dolorem, quem in filii morte ſuſtinuit, quia ergo B. Virgo plus diligebat filium, quàm ſe ipſam, idcirco in illo percuti, flagellari, crucifigi, & mori potuit, quod etiam majus fuit quàm in ſe ipſa percuti, & mori; & ideo pluſquam martyr fuit vivens, & in anima patiens, & ita majus etiam meritum comparavit, tam quoad præmium eſſentiale, quàm accidentale; quare cùm Chriſtus verè, ac propriè martyr fuerit, nam propter veritatem morum, & doctrinæ violenter interfectus eſt; B. Virgo propter ſummam cum Chriſto conjunctionem ſimul cum ipſo pati dicebatur.

Ad quartum reſpond. Quidquid ſit de illa morte B. Catharinæ Senenſis, negamus tamen hoc ipſum B. Virgini contigiſſe, tum quia illa ſtabat juxta Crucem JESU, conſtans, & in fide & ſpe erecta & firma: quòd ſi per mortem cecidiſſet, opus erat ut reſurgendo virtute divina reviviſceret non ſine miraculo; vitanda ſunt autem miracula in expoſitione Scripturarum: nam, ut B. Auguſtinus *lib. 2. in Geneſ. ad litteram cap.* 1. eleganter annotavit, illam expoſitionem Scripturæ quæ tollit miracula, alteri præferendam, quæ illa ponit, & ad quæ minimè ipſa Scriptura cogit.

Ad 5. patet ſolutio ex his, quæ in ipſo argumento proponendo diximus.

## CAPVT VIII.

***Divini raptus ea vis eſſe ſolet, ut etiam corpus à terra ſublevet.***

SPiritus DEO per amorem aſſimilatus, & unitus qualificat, ut præclarè Gerſon philoſophatur, etiam & afficit conſequenter corpus proprium, tamquam ſuum formabile ſeu materiale per redundantiam ſpiritus ad corpus. Unde fit, ut corpus ſic habituatum induat, & gerat quaſdam conditiones & proprietates ipſius ſpiritus. Inde eſt, quod Ariſtoteles dixit: In virtuoſo omnia conſonant rationi; ſic ergo ſpiritus noſter tractus à DEO, trahit conſequenter ea, quæ corporis ſunt, ac proinde reſultat unio mirabilis ſpiritus ad DEUM, & corporis ad ſpiritum. Legimus Moyſen poſtquam locutus fuerat ei Dominus in montis caligine, quòd ad populi tumultuantis regionem deſcendebat, facieſque ejus radioſa, cornutaque videbatur. Etenim ſicut lampas ex lumine, ſic corpus totum ex interna contemplatione reluceſcit & niteſcit. Hinc vultus, hinc oculi, hinc tota corporis compoſitio, divinum aliquid, ſobrium, modeſtum, ſerenum, & decorum præfert.

Nec ſolùm corpus ex redundantia ſpiritus his qualitatibus afficitur, ſed inſtar ipſius ſpiritus mira agilitate ſurſum aliquando ſublevatur. Pondus enim divini amoris emergere facit non ſolùm ſpiritum à turbida fluctuantium phantaſmatum & deſideriorum carnalium tetra caligine, ut ſurſum liberius aſcendat, ſed & aliquando corpus ipſum natura ſua grave à terra ſpiritus vi & efficacia trahitur & elevatur. Senſerat experimento facili hanc amoris & ſpiritus vim ſurſum agentem, ipſa mater Auguſtini S. Monica, quæ aliquando in Eccleſia S. Cypriani martyris ſuſceperat ſacram Communionem, in qua plenitudo gratiæ, velut in ſuo fonte ſumitur, tunc protinus corporeà terra ſublevatio, tales erupit in voces: *Volemus in cœlum, volemus in cœlum fideles,* à qua dum poſtmodum quæreretur, quid ſibi voluiſſent hæc inſoliti clamores? ipſa ut erat tota columbinæ ſimplicitatis piè benignèque reſpondit: & quid vultis, quid quæritis? *Cor meum & caro mea exultaverunt in DEUM vivum.* Congruit id quod ſequitur, *Altaria*

*tua*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*rea Domine virtutum*, ſupple, contulerunt hanc elevationem.

Tales etiam fuit raptus B. Franciſci, de quo D. Bonavent. in ejus *vita cap.* 10. Viſus eſt nocte manibus ad modum Crucis protenſis, toto corpore ſublevatus à terra, & nubecula quadam fulgente circumdatus, ut illuſtrationis divinæ intra mentem, mira circa corpus perluſtratio teſtis eſſet. De D. Dominico in ejus vita refert Surius, quod cùm in Miſſa Corpus Chriſti puriſſimis manibus in altum elevaret, cunctis qui aderant ſpectantibus, ipſe pariter cubiti unius altitudine à terra eſt elevatus, corpus terrenum, & grave animi devotione, & ſpiritu ſurſum attollente.

Tale aliquid de S. Thoma referunt; cujus corpus etiam contemplatio levabat à terra. Sic in Beatis pœnitentiæ ſpeculis Maria Magdalena, & Maria Ægyptiaca factum legimus.

Demum de B. Virgine, ac matre noſtra Tereſia Epiſcopus Tarraſonenſis in ejus vita *lib.* 1. *cap.* 15. ita ſcribit: Cùm hac ebrietate cœleſti B. Mater Tereſia interdum radiis, & lucis ſplendoribus illuſtrata, interdum impetu amoris acta ſæpè externis ſenſibus tanta vi extra ſeſe Virgo rapiebatur, ut ſæpius præ divini ſpiritus vehementia in ſublime ferreretur, & toto corpore in aere pendula maneret, inſtar ferri à magnete, aut paleæ à ſuccino attractæ; eadem facilitate anima divino hoc igne plena ſupra ſe ferebatur, ductu ſuo pariter ſecum trahens corpus, ut jam non corpus, aut ſi corpus non niſi glorioſum videretur. Unde quémadmodum aqua, quam ſuppoſitus ignis intensè calefacit, ſolet propriæ naturæ, quam pigram, gravem, & ad ima tendentem habet oblivisci, & in altum ferri imitando ignis calefacientis levitatem. Ita prorſus anima Virginis in tantum DEO imbuebatur, diviniſque ignibus æſtuabat accenſa, ut ſpiritus ejus non aliter, quàm ſi flamma foret, in altum raperetur, eandemque illam levitatem & agilitatem in corpus derivaret. Hos raptus aliquando B. Mater impetuoſiſſimos habuit, uti ipſa *cap.* 20. *ſuæ vitæ* hiſce verbis teſtatur.

Recolligit DEUS animam, ut ſolent nubes terræ vapores, totamque à terra levat quaſi nubem cœlos ſubeuntem, quam & ſecum ducit, cui etiam bona oſtendit Regni hujus, quod illi præparavit. Neſcio ſi comparatio quadret, ſed verè res ſic ſe habet. Et infra: Accedit impetus tam ſubitus, tamque vehemens, ut experimento noſcatur illa nubes, aut aquila nobiliſſima ſuſtolli, ſeſeque anima ſub alis ſuis colligens rapit etiam volentem, idque tanto exceſſu, ut ſæpius ego obniti voluerim, & omnem conatum, omnemque induſtriam adhibuerim, ſpeciatim contra raptus illos, quos in publico patiebar, & alios plurimos, quos privatim, arbitrata me eluſam, & deceptam. Porro aliquid aliquando hoc luctamine in eo præſtabam, ſed cum attritu totius corporis, qualem habet, qui cum gigante fortiſſimo luctatur. Interdum verò fieri non poterat, ut obſiſterem, imo animam impetus levabat, & cum anima caput, ut illud movere non poſſem, interdum etiam totum corpus uſque in aera ferendo: ſed hoc rarius; ſemel quippe, dum in Choro religioſis omnibus ad communionem ſumendam adunatis ſimile quippiam mihi eveniret, flexis ego genibus non mediocriter angebar, quod videretur mihi res inſolita, & quæ ab aliis faciè notari poſſet. Juſſi ergo Religioſas (nam ſuperioris munere fungebar) ne rem manifeſtarent. At verò aliquando animadvertens DEUM idem mecum velle agere, jacentem in terra extendebam me. Occurrebant etiam, quæ corpus tenerent, neque tamen ſic occultari poterat, quin impetus manifeſtaretur. Deprecabar enixe dulciſſimum Dominum meum JESUM Chriſtum, abſtineret deinceps à gratiis conferendis, quæ externè apparerent, jam enim fatigabar tot reſpectibus, quod non poſſent non dignoſci. Hæ gratiæ, quas mihi conferebat, viſum eſt bonitati ſuæ exaudire precantem, quandoquidem ab illo tempore, quàmvis illud exiguum ſit, nihil mihi tale evenerit. Hactenus B. Mater, quæ indefeſsè Dominum orabat, ne ſimiles ſibi gratias publicitùs conferret. Unde (quemadmodum narrat P. M. Bañes) cùm aliquando ſuſcepto Euchariſtiæ Sacramento aſtante numeroſa multitudine jam corpus in aera raperetur, apprehendit cratem ferream, multumque anxia, inquit, *Domine ob rem tam levis momenti, qualis eſt, gratiam hanc non habere, ne patiare mulierem tam pravam ab aliis bonam haberi.* Aliis vicibus in Choro apprehenſas ſtoreas ſublevabat. Ideoque ſocias monuerat, ſi quando ſimile quippiam in publico viderent, ſibi veſtes validè traherent, ne ab aliis perciperetur. Per aliquot annos ſic perſtitit, quoad illius tandem precibus Dominus annuit, ſiquidem ab illo tempore, quo cratem ferream prehendit, tam validos tamque pœnoſos raptus ultra non ſenſit.

Nec mirum eſſe debet, quòd corpus terrenum tunc ſpiritus divini vi, & impetu à DEO in aerem ſublevetur, qui inſtar aquilæ, quæ animal, quod per terram repit, ſubitò abripit, & in aera, ipſo invito, elevat; ſic imbecille corpus non ſolum ab omni ſenſuum uſu, ſed etiam à propria terrenorum regione abducit, ac in ſuprema ſpiritus veſtigia perſequens evolare cogit.

Operatio alia, ſive divina metamorphoſis puriſſimis animabus ecſtaſim patientibus contingere ſolet. Videtur enim eis aliquando earum cor non ſolùm transfigi; ſed penitus à ſponſo cœleſti ab eis auferri, & loco illius cor proprium divini ſponſi ſubſtitui. Tale quid B. Catharinæ Senenſi contigiſſe in ejus vita refertur, ac non rarò aliis fœminis ſanctiſſimis eveniſſe, experientia ipſa comperi, quas quidem cordium permutationes non reales, ſed potiùs imaginarias, ſeu apparentes cenſeo, neque enim opus eſt nova excogitare miracula ad amoris in animabus excitandos affectus. Poteſt enim Chriſtus Dominus iſta imaginariè repræſentare, ut amoris actus ardentius accreſcat, neque enim D. Paulus, quando aſſerebat: *Vivo ego, jam non ego, vivit in me Chriſtus*, ſe vita naturali orbatum credebat, ſed ſe ita Chriſto immerſum aſſerebat, ut penitus ſibi mortuus videretur. Familiares enim ſunt locutiones inter amantes, quæ uſitatæ non ſunt divinarum affectionum experientia carentibus, quales ſunt animam mori, propriam formam amittere, in DEUM amore transformari, & id genus aliæ amantibus frequentiſſimæ, ſi naturam rerum ſpectes falſas, ſi affectum veras eſſe dicimus, quo ſenſu Philoſophus *animam potius eſſe ubi amat, quàm ubi animat*, pertulit.

## CAPVT IX.

### *Alii divini Raptus effectus in corpore cauſati.*

*Conſulend. noſt. Dominicus* lib.7. tomi 7. ſect.7. c. 4.pag. 848. *Bibliothecæ ſuæ Theol.* *Et directorium myſt. noſt. Antonij* Tract.4. diſp.2. ſect.6.

SOlent etiam aliæ corporis mirabiles alterationes ex divinis communicationibus in raptibus contingentibus evenire, de quibus D.Bonavent. *Proceſſ.7. Religionis cap.15.& 19.* ita ſcripſit: Quandoque, inquit, corpus quaſi obrigeſcit, & membra inhabilia & inflexibilia fiunt ex ſubita fervoris & ſuavitatis influentia, & hoc poteſt eſſe, quia ſpiritus omnes diſtenduntur corde inflammato, quia intenſione & obſtructione nervorum ſpiritualium membra amittunt habilitatem officiorum ſuorum, ut lingua loquelæ, manus operationum, & pedes, & crura gradiendi, quouſque fervor iterum remittatur, & viæ ſpirituum apertæ fiant, ut prius. Nec mirum ſi hæc divinæ affectiones poſſunt efficere, quarum virtus fortior eſt; cùm etiam humanæ actiones interdum id valeant ut ſubitus timor, & ſubita & immoderata lætitia, & ſubitus dolor, & odium immenſum, & intemperatus amor, ſicut ſæpè compertum eſt, & in ecſtaſim, vel ſtuporem, vel phænesim alios ex hujuſmodi raptos fervore eſſe, & membra in rigorem, vel tremorem verſa, vel etiam febres ex vehementi moleſtia incidiſſe. *Et infrà:* Quia virtus divinæ dulcedinis intolerabilis eſt imbecillitati terreni corporis, ſicut ſi ignem intromittas. Unde legimus Sanctos ex divinis viſitationibus & revelationibus caruiſſe, & viribus emarcuiſſe; de quo

*Dan.10.*

legitur in Daniele: *Viſionem hanc grandem vidi, & non remanſit in me fortitudo, & emarcui, nec habui quidquam virium, & jacebam conſternatus ſuper faciem meam.* Ita D.Bonaventura.

Dionyſius Carthuſianus *de fonte lucis*, *art.18.* has corporis transmutationes ecſtaſim conſequentes deſcripſit dicens: *Ex tanto quoque contemplationis exceſſu, amoriſque impetu, amore & ebullitione generantur per redundantiam quandam in parte ſenſitiva, ac corpore languor, debilitas, mœror, ac macies, deteſtatio corporei alimenti, impotentia, uſus, ac motus membrorum ac ſenſuum, & totius corporis rigor* Et infrà: *Amplius quoniam amor ingreditur, ſcientia permanet foris, dum mens contemplationi myſticæ eſt intenta, inflammato, & velut commoto, & irritato amore, incipit quodammodo ebullire, ac ſuperfervere, ſuaque violentia totum corpus excutere, quod autem fervet, quadam caloris, ac deſiderij ſui violentia extra ſe ipſum projicitur, & ſupra ſe tollitur, quaſi ibi eſſe dedignetur, unde vehementer ſe jactat. Sic & mens transfixa amoris fervore, quaſi extra corpus jactare ſe nititur, & usque in ſummum volare molitur.* Hæc Carthuſ.

*Vid. noſt. Philipp. Theolog. myſt.* part.3. tract.1. diſcurſ. 4.art.5.

Præterea in corpore ejus, qui ad divina rapitur inſolita alia atque inuſitata contingunt. Nam cùm tunc corpus veluti ab anima deſeritur, & omnis calor intrò recipitur, quare tunc frigidum, ac rigidum, & ineptum ad ſe movendum redditur; quare dum quis rapitur, aut ſedens, aut jacens, ac in eo loco ubi erat, ſeu columna quædam immobilis permanet. Interdum cadens in faciem proſternitur, interdum vi ſpiritus in aera levatur, ut ſuperius diximus, aut aliis modis inſuetis interioris manſionis, ſive fervoris vehementiam oſtentat.

*Differentia inter raptum & unionem à S. M. Tereſia aſſignata.*

Hos divini raptus effectus B. Mater TERESIA experientia ipſa edocta, in quibuſdam manuſcriptis, quos adducit P. Ribera *lib.4. cap.3.* explicat dicens: Eſt aliud diſcrimen inter unionem & raptum, quia raptus amplius durare ſolet, & magis ſentiri ſolet in exterioribus, quia paulatim reſpiratio imminuitur, ita ut loquelæ facultas impediatur, neque oculi aperiri poſſint; & quamvis hoc etiam in unione contingat, in raptu verò majori vi fieri ſolet, calor namque naturalis abſconditur, & late neſcio quo, manus frigidæ, ac rigidæ manent, ac palmæ earum, ac ſi eſſent ligneæ, extenduntur, & corpus ſi tunc temporis ſtat erectum, aut genibus flexum ita perſiſtit in raptu, & quando raptus aliquo tempore durat, nervi læſionem aliquam patiuntur. Hactenus B. Mater; quæ idem ferè repetit *in manſione 6. cap.4.* his verbis: Quando DEUS vult animam extra ſe ponere, ſtatim reſpiratio ceſſare videtur, & quàmvis alii ſenſus ſubitò non amittantur, nullo modo poteſt loqui, quàmvis aliquando omnes ſimul abſorbeantur. In his præterea raptibus videtur animam corpus non informare, & ſic planè percipitur caloris naturalis defectus, manus & corpus frigeſcunt, ita ut videatur corpus anima orbari, in tantum, ut vix reſpiratio ſentiatur.

Egregiè tamen advertit Cajetanus 2. 2. *queſt.* 173. *art.3.* ubi exponens illa verba D. Thomæ: *Talis alienatio à ſenſibus non fit in Prophetis cum aliqua inordinatione naturæ, ſicut in arreptitiis. Multò minus,* inquit Cajetanus, *fit cum aliqua inordinatione honeſtatis, aut moris: Spiritus enim ſanctus, qui author eſt alienationis requiſitæ ad Prophetiam, ſicut & Prophetiæ ipſius, non eſt author deordinationis naturæ, aut moris, quoniam gratia ſecundùm genus ſuum, & naturam & morem perficere, non deſtruere, minuere, aut violare nata eſt; & propterea alienatio à ſenſibus cum cordis ſaltu ſenſibiliter vehementi, cùm deordinationem naturæ contineat, non à Spiritu ſancto: & ſimiliter, ſi cum denudatione pudendarum partium fiat ex parte perſonæ alienatæ, etiamſi adeſſent operientes. Hoc enim & contra honeſtatem morum, & contra naturæ ordinem eſt, quoniam motus talis membrorum ad deordinationem naturæ ſpectaret, etiamſi nudatio pudendorum non eſſet nata ſequi. Vnde oportet animadvertere in hujusmodi alienationibus, ſi interveniat aliquid indecens ſecundùm motus intrinſecos, vel extrinſecos, ſive ſit indecentia naturæ, ſive indecentia moris, quoniam tunc non eſt alienatio prophetica, ſed infirmitatis, vel fictionis, vel illuſionis diabolicæ, aut naturaliter animalis ex nimia meditatione alicujus.* Hæc ille.

Dubitari tamen poteſt, an ad divina raptus loqui poſſit, legitur enim de aliquibus Sanctis, ut de B. Catharina Senenſi, & de S. Maria Magdalena de Pazzis, aliiſque in raptu fuiſſe locutos. Contrariam tamen ſententiam tenet Cajetanus *ubi ſupra,* ubi *in reſponſione ad 4.* ita ſcribit: *Collige aliam conditionem veri Prophetæ, quantum ad promulgationem Prophetiæ, ſcilicet, quòd ſpiritus Prophetarum ſubjecti ſunt eis, quoad hoc ſcilicet, quòd non mente turbata, non quaſi acti ab alio, quaſi alius loquatur per eos, ut contingit in dæmoniacis; ſed ex proprio ſenſu, mente quieta, ſcientes quid loquuntur, dicunt ea, quæ viderunt. Vnde habes, quòd tam alienati in ipſa alienatione loquentes, & poſtmodum neſcientes quid viderint, & referunt ſe ad ea quæ dixerunt in alienatione poſiti, quàm alienati denunciantes velint, nolint, quæ vident non ſunt Prophetæ. Indecens enim eſt, ut illi quos DEVS docet, & illuminat ad Eccleſiæ ædificationem, irrationabili motu ſe habeant ad propalanda divina myſteria; & hinc patet, quòd perſonæ in ec-*

*ſtaſi*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*ſtaſi poſitæ loquentes in perſona Chriſti , vel alterius Sancti quaſi actæ ab illo, & non ex proprio ſenſu pronunciantes, aut ſeducuntur, aut ſeducunt. Et tamen mundus ſtultus miratur, ſtupet, adorat hujusmodi verba, hujusmodi actus, hujusmodi perſonas, non advertentes quòd ſpiritus Prophetarum ſubjecti ſunt eis quoad promulgationem.* Hæc ille, quæ valde ſunt notanda.

Quare prædicto dubio reſpondemus cum diſtinctione, aut ille, qui loquitur, intelligit verba, quæ profert, & ſimul liber eſt ad loquendum, ſive tacendum. Jam verè eſt ſui compos, neque propriè poteſt dici alienatus, vel raptus, qui ita liberè in raptu ſe gerit, niſi aliàs divinitùs adjutus adhuc alienatus loqueretur, intelligens verba quæ loquitur, quod raro quidem contingere ſolet, quandoquidem neque ipſis Prophetis hoc fuit à DEO conceſſum: vel non intelligit ea, quæ loquitur, & tunc potius videtur arreptitius, ut inquit Cajetanus, quàm raptus divinus; quod ſi aliquando aliqui Sancti, ut B. Catharinæ Senenſi contigit, in raptu loquebantur , tunc dicendum eſt, alienationem illam à ſenſibus non eſſe totalem, ſed imperfectam, de qua loquitur D. Thomas *dicto art. 3. ubi ſupra.*

## CAPVT X.

*Num in Raptu non ſolum animales operationes, ſed etiam naturales ac vegetatrices ab opere omnino ceſſent.*

*Vid. ſupra cit. Biblioth. Thealog.* pag. 844

IN hoc dubio prius examinare oportet de virtute motiva, dicturi poſtea de nutritiva, ac vegetativa. Galenus *lib. 6. de locis patientibus in membro aliquo* poſſe ſervari ſenſum ſine motu , non verò motum ſine ſenſu, exiſtimat; cujus quidem ſententiam ſequitur Valaſius *lib. 1. controverſ. cap.* 10. ex qua ſententia clarè conjicitur in raptu ubi ſenſus amittitur, amitti etiam & motum; nam ex eodem principio procedunt tam motus , quàm ſenſus. Unde provenit, quòd in raptu, *ut ſuperiori cap.* advertimus , corpus in illa figura perſeveret, in qua erat antequam raperetur, quàmvis aliqui corruere in terram ſoleant, ut annotavit Abulenſis *Tom. 1. quæſt. 40. in Geneſ.*

Objicies , quia dormientes habent aliquem ſenſum & motum. Reſp. Verum id eſſe, verumtamen major eſt abſtractio, quæ in raptu contingit, quàm in ſomno , & quanto major eſt alienatio, tanto minor eſt ſenſus & motus. Notandum tamen eſt , quòd alienatione facta , poteſt duplex motus conſiderari; alter naturalis, qualis eſt motus cordis aſpirationis, & pulſus , vel quilibet alius motus, qui ſine ulla prævia cognitione contingere poteſt; alter eſt motus animalis, qui præcedente cognitione fit. Prima ſpecies motus in alienatione invenitur. Secunda verò raro , niſi aliàs alienatio ſit imperfecta.

De operationibus verò partis vegetativæ Abulenſis *in cap. 1. Geneſis quæſt.* 400. *& in Paradoxo 3. cap.* 46. affirmat omnino impediri has operationes vegetativæ in ecſtaſi , ad cujus rei explicationem ſtatuit diſcrimen inter ligationem potentiarum, quæ in ſomno fit, & eam, quæ in ecſtaſi; quod in ſomno impediantur vires cognitrices, ita ut externi ſenſus nihil omnino agant , interni autem, itemque intellectus , aut omnino etiam vacent, cùm nulla vigent in ſomnia, aut certè non-niſi obſcurè & imperfectè operentur: interim verò, ligatis eo modo potentiis cognoſcentibus naturales vires ad opus expeditiores ſint, non occupata aliis functionibus anima. Unde & tunc cibi decoctio , atque alimenti in totum corpus diſtributio, multò celerius commodiusque perficitur. In ecſtaſi autem oppoſito modo ſe res habet. Anima enim quæ in ſomno incurvatur in ecſtaſi elevatur, hoc eſt, quæ in ſopore ad inferiores potentias inflectitur , in ecſtaſi ad altiorem videlicet intelligendi vim rapitur , cæteris in otio relictis. Ut enim ad tam excellentem rerum cognitionem aſcendat , colligit ſe quantum poteſt, totaque in eum ita impenditur , ut reliquarum potentiarum functiones inhibeat. Ita ſentit Abulenſis etiam operationes naturales in ecſtaſi intermitti, quod ex eo probat, quia eam patientes diu ſine cibo & potu manent, & quod mirabilius eſt, nec cordis motio, nec vitalis calor in eis deprehenditur, adeo ut mortuine ſint ambigatur.

Contraria tamen ſententia videtur eſſe Divi Thomæ 2. 2. *quæſt.* 175. *art.* 5. ubi aſſerit, in raptu non ſuſpendi operationes animæ vegetativæ, *quia vires animæ vegetabilis non operantur ex intentione animæ, ſed per modum naturæ: & ideo non requiritur ad raptum ab eis abſtractio, ſicut à potentiis ſenſitivis.* Idem quoque tradit D. Thomas *de veritate quæſt.* 13. *art.* 4. ubi & hanc addit obſervationem, ut hoc intelligatur per ſe loquendo , quoniam per accidens pars intellectiva impedit vegetativam, & è contra: experimur enim, ut optimè advertit Cajetanus *dicto art.* 5. actus vegetativæ, & digerendo, & calefaciendo , & fumando obeſſe virtutibus miniſtrantibus intellectui, adeo ut quidam penitus priventur intellectu, ut fatui & ebrii, quidam vero clarum videantur ſortiri intellectum ex claritate ſpirituum à parte vegetativa provenientiū. Econtra experimur etiam, quòd exercitatio intellectus nocet parti vegetativæ, ut qui à cibo legunt aut ſcribunt, vel de re quapiam attentius meditantur minus probè devotionis officium peragant.

Alia etiam ratio aſſignari poteſt , quia opera vegetativæ animæ exercentur proximè per qualitates omnino materiales, & egentes neceſſariò alteratione materiali, & quoad hanc partem impediri non poſſe per contemplationem in raptu cōtingentem, quia illa actio non pendet ex attentione ipſius animæ, ſed ex ſolis qualitatibus; at verò in quantum illa actio juvatur per actiones ſpirituum vitalium, & per vitales operationes etiam ipſius animæ, nempe attrahendi, expellendi, ac diſtribuendi, &c. Sic multum poſſe impediri per actus mentis, ſive contemplationis, ſive ſtudii, aut aliarum operationum ſpiritualium , ut experientia conſtat.

Quare dicendum nobis videtur, quòd licèt vires naturales , quæ ſunt organo corporeo magis addictæ minus à ſuis operationibus retardentur, in univerſum tamen facultates omnes , quocunque modo agant, ſive naturales ſint , ſive non , agendi vigorem remittere, cùm anima in alicujus potentiæ operationem vehementius incumbit.

Igitur ad propoſitam dubitationem reſpond. cùm raptus virtute divina fit, certum eſt animam à potentiarum officiis, ut ſæpius diximus, ceſſare, an verò ab aliis præterquam à functionibus ſenſuum, & facultatis loco motivæ revera abſtineat, non ſatis compertum eſt, quàmvis veroſimilius videatur, etiam tunc naturales vires nonnihil operari, quāvis id exterius ſemper non deprehēdatur.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Vid. ſup. pracit. Biblioth. Theolog. pag. 847*

Hic quæri etiam poteſt, an raptus multo tempore durare poſſit? Ratio dubii eſt, quia cùm in raptu omnes ferè animæ potentiæ vim patiantur, & præcipuè corpus ſummoperè fatigetur, non videtur poſſibile raptum poſſe eſſe diuturnum.

Reſpond. Raptum ſive ecſtaſim parvo tempore durare, ita cenſent Patres in ea verba Joannis Apocalypſ. *Factum eſt ſilentium in cœlo quaſi dimidia hora.* Sanctus Gregorius *lib. 5. Moralium cap. 23* Non ergo, inquit, ſtat, ſed tranſit ſpiritus, quia ſupernam lucem noſtra nobis contemplatio, & inhiantibus aperit, & mox infirmantibus abſcondit. D. Auguſtinus 10. *Confeſſ. cap. 40. Aliquando intromittis me in affectum multum inuſitatum introrſus ad neſcio quam dulcedinem, quæ ſi perficiatur in me, neſcio quid erit; ſcio quòd vita iſta non erit. Sed recido in hæc ærumnoſis ponderibus, & reſorbeor ſolitis.* Et infrà: *Hic eſſe valeo, nec volo; illic volo, nec valeo, miſer utrobique.* D. Bernardus loquens de hac divina ecſtaſi *lib. de amore* Dei *cap. 4. Hic eſt, ait, finis, hæc eſt conſummatio, hæc eſt perfectio, hæc eſt pax, hoc eſt gaudium Domini, hoc eſt ſilentium in cœlo, quamdiu quippe ſumus in hac vita, hoc feliciſſimæ pacis ſilentio in cœlo, id eſt, in anima juſti, quæ ſedes eſt ſapientiæ, aliquando fruitur affectus, ſed hora eſt dimidia, vel quaſi dimidia.* Idem Bernardus *ſerm. 85. in Cantica: Dulce commercium, ſed breve momentum, ac experimentum rarum.* Et alibi: *Rara hora, & brevis mora.* Demum Richardus *de præparat. ad contemplat. cap. 76. Rarum valdè,* inquit, *in hunc montem aſcendere, ſed multò rarius in ejus vertice ſtare, & ibi moram facere.*

Ratione etiam probatur; quia in ecſtaſi ſive raptu, ut nuper dicebamus, violentia nobis infertur, relinquendo omnes ſenſus, omnem quoque diſcurſum, ac de omnibus, quæ ſenſibilia, & connaturalia ſunt homini, pro hoc ſtatu abſtrahimur, & ſæpè etiam in ſimplici intuitu mentis circa myſteria altiſſima, & ſummè ſpiritualia occupamur, unde cùm eo tempore animus ſupra ſe ipſum elevetur omnium, atque omnibus aliis excidat, quæ omnia non contingunt ſine magna violentia, & corporis, & ſenſuum, difficillimum erit ex natura rei in hujuſmodi raptu durare. Unde non rarò poſt ecſtaſim ſive raptum, corpus quaſi exanime præ nimia fatigatione relinquitur, ac ſæpiſſimè languet.

Neque obſtat, quòd de aliquibus Sanctis prolixiores ac diuturniores raptus ſcribantur, nam vel hi raptus contingunt cum minus perfecta à ſenſibus alienatione, vel eſt aliqua intermiſſio ſive intercalatio inter raptum, & raptum, ſive (ut dicam, quod ſentio) potius eſt debilitas virium corporalium, quibus deficientibus aliquæ perſonæ devotæ præ nimia imbecillitate patiuntur ſimiles ecſtaſes, cujus ſignum eſt, quia ſi iſtis imponantur externæ occupationes, aut continuata jejunia præcipiantur, ceſſant ſtatim hujuſmodi raptus. Admirandi ſunt in hoc genere raptus illi divini, quos frequenter patiebatur Seraphica Virgo ſancta Maria Magdalena de Pazzis, ob multas & inſolitas eorum circumſtantias.

*In ſuperioribus exponendo* Articulum primum quæſt. 175. 2. 2. *D. Thomæ diſſeruimus de natura, cauſis, ſubjecto ac diverſis ſpeciebus Raptus, nunc aggrediemur* Articuli II. *eiuſd. quæſt. Expoſitionem, in qua agemus de Ecſtaſi, ejuſque cauſis, modis ac ſpeciebus, circumſtantiis etiam, ex quibus vera ac divina, à falſa ſeu fictitia hoc Articulo, verum etiam alibi, ac præſertim* 1. 2. quæſt. 28. art. 3. *de hoc argumento.*

---

## ARTICVLVS II.

### *Vtrum Raptus magis pertineat ad vim cognoſcitivam, quàm ad vim appetitivam.*

*Cap. 4. de divin. nomin. part. non remotè à fin. lib. 2. circa med.*

*AD ſecundum ſic proceditur. Videtur, quòd raptus magis pertineat ad vim appetitivam, quàm ad vim cognoſcitivam. Dicit enim Dionyſius 4. de divin. nomin. Eſt autem ecſtaſin faciens divinus amor; ſed amor pertinet ad vim appetitivam, ergo & ecſtaſis ſive raptus.*

*Præterea Greg. dicit in 2. Dialog. quòd ille qui porcos pavit, evagatione mentis & immunditiæ ſub ſemetipſo cecidit. Petrus verò quem Angelus ſolvit, ejuſque mentem in ecſtaſi rapuit, non extra ſe quidem, ſed ſupra ſemetipſum fuit; ſed ille filius prodigus per affectum in inferiora dilapſus eſt; ergo etiam & illi, qui rapiuntur in ſuperiora, per affectum hoc patiuntur.*

*Eſt Aug. Pſ. 30. in princ. illius Tom. 8 ἔκστασις.*

*Præterea ſuper illud Pſal. 30. In te Domine ſperavi non confundar in æternum, dicit Gloſſa in expoſitione tituli, ecſtaſis græcè, latinè dicitur exceſſus mentis, qui fit duobus modis, vel pavore terrenorum, vel mente rapta ad ſuperna, & inferiorum oblita: ſed pavor terrenorum ad affectum pertinet, ergo etiam raptus mentis ad ſuperna, qui ex oppoſito ponitur, pertinet ad affectum.*

*Sed contra eſt, quod ſuper illud Pſal. 115. Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax, dicit Gloſſ. Dicitur hic ecſtaſis, cùm mens non pavore alienatur, ſed aliqua inſpiratione revelationis ſurſum aſſumitur; ſed revelatio pertinet ad vim intellectivam, ergo & ecſtaſis, ſive raptus.*

*Reſpondeo dicendum, quòd de raptu dupliciter loqui poſſumus. Vno modo quantum ad id in quod aliquis rapitur; & ſic propriè loquendo raptus non poteſt pertinere ad vim appetitivam, ſed ſolùm ad cognoſcitivam. Dictum eſt enim, quòd raptus eſt præter propriam inclinationem ejus, quod rapitur. Ipſe autem motus appetitivæ virtutis eſt quædam inclinatio ad bonum appetibile. Vnde propriè loquendo, ex hoc, quod homo appetit aliquid, non rapitur, ſed per ſe movetur. Alio modo poteſt conſiderari raptus quantum ad ſuam cauſam; & ſic poteſt habere cauſam ex parte appetitivæ virtutis, ex hoc enim ipſo, quòd appetitus ad aliquid vehementer afficitur, poteſt contingere, quòd ex violentia affectus homo ab omnibus aliis alienetur. Habet etiam effectum in appetitiva virtute, cùm ſcilicet aliquis delectatur in his, ad quæ rapitur. Vnde & Apoſtolus dixit ſe raptum non ſolùm ad tertium cœlum, quod pertinet ad contemplationem intellectus; ſed etiam in Paradiſum quod pertinet ad affectum.*

*Ad primum ergo dicendum, quòd raptus addit aliquid ſupra ecſtaſim. Nam ecſtaſis importat ſimpliciter exceſſum à ſe ipſo, ſecundùm quem ſcilicet aliquis extra ſuam ordinationem ponitur: ſed raptus ſuper hoc addit violentiam quamdam. Poteſt igitur ecſtaſis ad vim appetitivam pertinere; puta cùm alicujus appeti-*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN